HERMANNI CONRINGII
DE
FINIBUS IMPERII
GERMANICI
LIBER TERTIUS.
Continens Annotata
ad libros priores



HELMESTADII ſumptibus HENRICI ELLINGERI,
BIBLIOPOLÆ LIPSIENSIS ET WITEBERGENSIS.

Typis hered. JACOBI MULLERI,
CIƆ IƆ C LXXXI.

HERMANNI CONRINGII

ANNOTATA AD LIBRVM PRIMVM DE FINIBVS IMPERII GERMANICI.

AD LIBRI PRIMI CAPVT PRIMVM

PAg. 1. *Imperii Germanici publicum.*) Singularis cujuslibet reipublicæ plena & perfecta cognitio, conſiſtit in Notitia, cumprimis qvidem, qvatuor ejus cauſſarum, ſimul verò loci qvoq; ac temporis. Ad materialem cauſſam pertinet doctrina de finibus; non tamen niſi perexiguam ejus partem attingit, qvoniam longè plura & majora exiguntur ad id, ut qvantum opus eſt ad civilis prudentiæ uſum intelligas integrum ſubjectum (ceu ſcholæ loquuntur) aut materialem cauſſam: etſi prima omnium materialium conſideratio debeat merito eſſe de Finibus civitatis. Pluribus hæc docentur libro de Singularis cujusq; reipublicæ notitia, qui ſeorſim prodibit in lucem.

Pag. 3.l.8.*compendio duntaxat*) Conſilium initiò cum iſthæc commentari inſtituerem fuit ſane, non niſi brevem dare de hoc argumento Diſſertationem. Sed vix altera plagula typis erat excuſa, cum mutarem animum. Itaq; ex eo ſub manu, quaſi opera extemporanea, qui fere meus eſt mos ſcribendi, grande volumen hoc eſt enatum.

Pag. 3.l. 8 *non fortaſſis alii.*) Etiam illi tamen in partes haſce ſunt tracti, qui ea quæ de Romani Imperii fato in Danielis Prophetico volumine creduntur prædicta, ad fortunam Germaniæ pertinere arbitrati ſunt. Qvo in numero jam pridem noſtratium quorumvis vulgo & fuerunt & ſunt plurimi. Nullus tamen hominum ordo vel operoſius vel majore ſimilitudine veri hæc ita docuit atq; Romani Juris doctorum: qui quidem Italiam aut Germaniam hactenus incoluerunt: nam & Gallici & Hiſpanici doctores ſibi hac parte caverunt, idq; ſtudio ſui populi magis fortaſſe quam veritatis · perinde atq; eſt factum à Juris Pontificii doctoribus quamvis Italis, quo gratiam aucuparentur Papalem. Benè verò, quod Imperatores Germanici ipſi prætextu Romani veteris Imperii numquam fuerint uſi in rem ſuam contrà exteras reſpublicas: quantum quidem ex

mo-

monumentis ævi illius eſt colligere. Vt meritò igitur iſthæc opinio privatis potiùs hominibus tribuenda ſit quàm toti Imperio Germanico.

Pag. 5. l. 3. *libro de Germanorum Imperio Romano.*) Cum pridem manibus Bibliopolarum exciderit meus iſte liber (editus quippe jam anno quadrageſimo quarto) & plurima ſint ad manum quibus duplo poſſit auctior reddi, tùm verò argumentum juſta induſtria vix à quoquam vel tentatum fuerit, dignum tamen ſit quod accurate excutiatur, fortaſſe propediem novam parabimus libri editionem.

AD CAPVT II.

PAg. 6. l. 24. *eximiam Germaniæ illam partem.*) Jam Auſonius ſcilicet ſcripſit: *Francia mixta Suevis*, ac Sidonius Apollinaris dixit:

Ulvoſa Francum Nicer abluit unda. Quæ non niſi de Franconia noſtra Germanica poſſunt accipi.

Pag. 7. l. 2. *Chamavi Bructeri & Ampſivarij.*) His addendi Ambrivarii & Angrivarii. Qvorum nominum veſtigia etiam nunc ſuperſunt prope Rhenum in Bergenſi Ducatu ejusq; viciniâ. Nec enim non pereſt veriſimile, oppidum quod

hodie *Camen* audit, olim fuiſſe Chamavorum, ut *Broeck*; Bructerorum. Ampſivarios porro appellatos, eos qui accoluerunt flumen *Amſer* vel *Emſer*; Ambrivarios qui proximi fuerunt *Ambro* amni, ut antehac Sicambros; Angrivarios autem dictos ab Angerfluvio, qui in Ducatu Bergenſi, poſt à ſeſe cognominata loca, *Angermunde Angerhuſen, Zumangerē*, Rheno mergitur. Sunt qui, priſcis illis Francis annumerent etiam Angrios, imo ſedes eorum uſq; ad Albim extendant: ſed falluntur. Demum enim ſeculo octavo victricibus Caroli Magni armis hæc ſunt Saxonibus erepta. Et verò omnis etiam illa inter Viſurgim & Rhenum interjacens vetus Francia à Saxonibus victoribus jam tum ſeculi Chriſtiani anno circiter 561 videtur occupata; quia illo tempore, Clothario Rege, ad *internecionem* (ut loquitur Gregorius Turonenſis) omnes illi Franci fuerunt ingenti clade devicti, & pars maxima eorum, relicto patrio ſterili & horrido ſolo, in Galliam commigraſſet. De Francis ſane inter Viſurgim & Rhenum degentibus ex eo uſq; altum fuit ſilentium.

Pag. 7. l. 7. *Alibi multis oſtendimus.*) Fortaſ-

ſis

ſis fuerit pretium operæ, noſtra illa cogitata tandem publicare : quia circa primam Francorum originem à quammultis vulgò peccatur, etiam magnis ac præclaris ſcriptoribus, & gens nobiliſſima hanc curam promeretur.

Pag.8.l.9. *Carolo Martello duce.*) Beda *l.5. c. 12.* refert, Ratbodum Friſiorum Regem à Pipino victum Francis citeriorem Friſiam conceſſiſſe, ac confugiſſe in Foſtilandiam. Non ſatis liquet autem quidnam *citerioris* Friſiæ nomine intelligat. Veriſimile autem eſt ita dictam Friſiam omnem qua à Rheno ad Viſurgim exporrigitur: *ulteriore* autem nomine veniſſe cum quæ trans Albim oram occupat maritimam, ut Foſtilandia eſt inſula illa quæ hodie audit Hilligelandia. Carolus itaq; Martellus vicerit quidem primus Ratbodum, Pipinus autem demum in provinciam redegerit omnem illam citeriorem Friſiam & Franciæ adjunxerit. Fortaſſe tamen Pipinus hic intelligendus eſt Martellipater Hereſtallus vulgò dictus, & citerioris Friſiæ nomine, dicta eſt illa pars quæ circa Vltrajectum ſita & Hollandia poſt audire cœpit. Hoc ſane colligere fuerit ex vita Marcellini, modo eſſet tutæ fidei.

Pag. 12. l. 19. *Carolo Magno rerum potiente.*) Diviſerat vero amplum illud Francum regnum, quodq; ſua potentia & maguntudine aptum erat totum mundum Francis ſubjicere, ipſe Carolus dum viveret inter filios. Haud dubie invitatus exemplo non tantum Merovingicæ familiæ ſed etiam Pipinianæ, quibus familiare fuit inter filios regnum partiri. Nec verò, qua erat Carolus prudentia, aliàs fuiſſet paſſus ejusmodi detrimentoſam diviſionem. Quam tamen filiorum, excepto uno Ludovico, mors præpropera ante ejus obitum emendavit. Niſi qvod nepoti Italiæ regnum manſerit integrum, contra morem Germanicum antiquiſſimum, quo nepotes ejusmodi ab avorum patrimonio ſunt ſecluſi, nullo repræſentationis jure quod vocant admiſſo ante tempora Otthonis Magni.

Pag. 13. l. 13. *imprudentia Ludovici.*) Imprudentiam Pii cætera Regis illius deprehendere eſt tantum non in omnibus ejus rebus. Nullo autem facto perinde nocuit reipublicæ, quam quod viduus inter filios primi matrimonii totum regnum diviſerit, eamq; diviſionem fecerit jurejurando omnium Regni Ordinum confirmari: iterum verò mutaverit iſtum animum à Juditha uxore

ſecunda inductus in gratiam Caroli ex altero iſt-hoc matrimonio geniti.

Pag. 13. l. 11. *anni*) In Annalibus Bertinianis infauſtum hoc prælium rejicitur in annum 841, ab aliis in diem ſeptimum Kal. Julij. Fontiniacum autem nonnullis audit *Fontanidus pagi Altiſſiodorenſis locus*, vulgò *Fontenay*.

Pag. 17. l. 3. *Lotharium forent.*) Merentur quam maxime addi quæ habentur in Annalibus Bertinianis. *Diſtributis portionibus Hludovicus ultra Rhenum omnia, citra Rhenum verò Nemetum Vangium & Moguntiacum civitates pagosq; ſortitus eſt. Lotharius inter Rhenum & Scaldim in mare decurrentem, & rurſus per Cameracenſem, Hainoum, Löenſem, Caſtritium & eos Comitatus, qui Moſa citra contigui habentur, uſq; ad Ararim Rhodano influentem, & per deflexum Rhodani in mare, cum Comitatibus ſimiliter ſibi utrinque adhærentibus. Cætera uſq; ad Hiſpaniam Carolo ceſſerunt.*

Pag. 17. l. 13. *Et Sigebertus*) Quæ de Scaldi & Arari monuimus diſerte modo audivimus referri in Annalibus etiam Bertinianis; qvorum teſtimonium unicum poteſt cenſeri pro multis.

Pag.19.l.7. *Wormatia.*) Etiam hoc habent disertis verbis Bertiniani Annales.

Pag.2,l.15. *Vtrech.*) Idem firmissimè demonstrant Tabulæ Lotharii Imperatoris, quibus ille Vltrajectinæ Ecclesiæ immunitates quasdam largitus est. Exhibet vero illas Wilhelmus Heda in Historia Vltrajectinorum Episcoporum pag. 52. editionis Buchelianæ. Qvibus adjungi debent Tabulæ junioris Lotharii Regis, quæ leguntur apud Hedam in vita Hungari Episcopi pag. 57. ejusdem editionis.

Pag.23.l.8. *Francorum regibus.*) Constat ex historicis ejus ævi monumentis, à Francis concessas fuisse Danis nonnullis sedes in iis locis, quæ nunc Hollandiæ nomine appellantur à Danis novis incolis. Et verò etiamnum pars Vltrajectini territorii, quæ vicina est Vechtæ rivo, dicitur Danemarke, cui adjacet Cronenburg, locus item dictus Hollant. Quæ conspicere quoq; est in nonnullis Geographicis mappis Trajectensibus.

AD CAPVT. IV.

PAg.24.l.17. *limitem regni sui.*) *Limitis* nomine hoc loco non venit ipsa quasi ἁπλῶς

extre-

extrema linea regni. Et verò uti paulo poſt apparebit, hoc ſignificatu *Eidora* demum *limes* fuerit appellanda. Hoc Godfredi Regis monumentum autem trans Eidoram circa Slyam maris Balthici ſinum inſtitutum fuit. Digna ſunt hic legi quæ in Chronico MSS. Sleſwicenſi ſcripſit Broderus. *Vallum illud, in ſummitate latitudinem habet triginta, quadraginta, & quibusdam in locis quinquaginta pedum. Longitudo eſt unius miliaris Germanici, vel ſex Italicorum, ut recte Hexamilium dici poſſit: quo nomine murum in Peloponeſo Græci appellarunt. Vallum quà orientem ſolem ſpectat, initium capit à flumine vel lacu Slia, & per dorſum Cherſoneſi protenſum vergit ad occaſum Hollingſted usq;: idq; paludes, quas æſtus maris occidentalis ad fluvium Threnum efficit, excipiunt. Et hac ratione à parte maris una ad alteram usq; peninſulam claudit. Porta una in medio relicta fuit, per quam tranſitus daretur, quem Kalegat nominant: appellatione inde petita, quod in loco patenti & undiq; aperto, nullisq; ſylvis & arboribus impedito ſita ſit, quaſi dicas* **Kahl / ſchlecht oder offen gatt.**

Pag. 28. l. 22. *Tabulæ illa.*) Autographum vel apogra-

phum vetustissimū tabularū fuit sancte asservatū in archivo Episcopatus Verdensis: quod post Stadā est translatū. Dabo hoc loco illas integras, qualēs à me ex antiquissima membrana sunt descriptæ: quoniam eas publicari interest gloriæ Caroli, quam præclare gestis rebus meruit ad omnem posteritatem.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDVE TRINITATIS CAROLUS DIVINA MISERATIONE ORDINANTE REX.

CUm Domini nostri Jesu Christi virtute favente, bellorum victoriam nuper potiti fuerimus, si gratiarum in immensum actione in ipso & non in nobis gloriamur, & pacem inpræsentiarum & regni prosperitatem, in futuro autem pro meritis nos donari supernæ mercedis perpetuitate, non diffidimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus in Christo, quod Saxones, qui hactenus Deo & nobis, ob suæ pertinaciam perfidiæ, semper cervice indomabili & rebelles, obsecundare detrectaverunt, modo tandem aliquando virtute Christi propitiante, bellorum instantia vicimus, & ad baptismi

gra-

gratiam divina miseratione perduximus, aut gentes quæ Dominum gloriæ non noverant, & regna quæ nomen Domini non invocaverant, in lege Domini meditari die ac nocte adjudicavimus, & qui hucusque jugum Christi ferre minime contendebant, Domino nostro Jesu Christo & sacerdotibus ejus, omnium jumentorum suorum, & fructuum terræ, & omnis agriculturæ decimas & nutrituræ, simul in unum divites & pauperes, secundum canonicam assertionem, & legalem cautionem constricti, de cætero persolvant. Terram autem eorum secundum antiquum Romanorum morem in provinciam redigentes, & in Episcopatus certo termino distribuentes, quandam aquilonarem illius partem, domino nostro Jesu Christo & sanctissimæ ejus genitrici devotissime obtulimus, & in loco Fardium vocato, super Aleram fluvium, in pago qui dicitur Sturmi, ecclesiam & cathedram Episcopalem statuimus, & Moguncienſis ecclesiæ archiepiscopatui, interventu Lullonis illius metropolis ecclesiæ, in memorato pago CC mansos, & quicquid ad ipsos mansos jure ac legitime pertinere videtur, cum domibus & ædificiis, mancipiis, campis, pratis, silvis, cultis & incultis; aquis aquarum-

ve decursibus, viis & inviis, exitibus & regressibus, obtulimus, & totius hujus diœcesis incolas, divites ac pauperes, decimas suas eidem Ecclesiæ, suoque dispensatori persolvere, nostræ regiæ Majestatis præcepto firmiter jubemus, & jubendo præcipimus, & legali sanctione confirmamus. Statuimus etiam, ut quascunque possessiones, & quæcunque bona, eadem ecclesia in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, liberorum & servorum, seu aliis modis Deo propicio poterit adipisci, firma sit & illibata permaneat. Præterea libertates & immunitates eidem ecclesiæ concedimus. Decernimus quoque, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temerè perturbare, possessiones ejus auferre, ablatas retinere minuere & aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia ad integritatem conserventur. Ut autem hæc confirmationis sententia, oblationisque donatio, rata & inconvulsa, & omni ævo intransibilis permaneat, ex præcepto summi pontificis & universalis papæ Adriani, nec non Moguncienſis archiepiscopi Lullonis, & omnium qui inibi aderant, sanctorum pontificum & catholicorum sacerdotum, & Alcquini insi-

insignis prædicatoris, rationis consilio, supra memoratam sanctæ Dei genitricis ecclesiam, cum omnibus appendiciis, & donativis, Suitberto sanctæ conversationis viro & immortalis memoriæ coram Deo & apud homines commisimus. Quem quidem in agro Dei laborantem primum eidem ecclesiæ bonum militem Jesu Christi præfecimus, ut populo adhuc rudi, verbi Dei semina, messem deinceps latura, secundum dispensatam sibi sapientiam, tamquam fidelis servus & prudens in domo Dei administraret, & canonica ordinatione & competenti & ecclesiastica institutione, ecclesiam sibi delegatam tam novellam plantaret atque rigaret, donec orationibus servorum suorum interpellatus omnipotens Deus incrementum daret. Veruntamen quia casus præteritorum præscios & cautos nos reddunt futurorum, ne quis sibi aliquam in eadem diœcesi, avertendo regulam, adscribat usurpative potestatem, certo eam limite fecimus terminari. Terminos autem ejus firmos, inconvulsos, & per omne seculum inconvertibiles, apostolica auctoritate, & nostræ regiæ majestatis præcepto circumscribi præcepimus; id est: Wirraham fluvium, Faristinam, Bicinam usque in Wiemenam

à Wie-

à Wiemena in paludem, quæ dicitur Culdenbach, deinde usque quo perveniatur ad Ostam, ab Osta Utervam, Bivernam, Wissenbroc, Asbroc, Chissenmor, Quistinam, Motam paludem, quæ dicitur Sigesfridesmor, Mulenbach, iterumque Ostam, Sneidbach, Wimaream, Hasulam, Steinbach, Liam fluvium, qui absorbetur ab Albia fluvio: dehinc trans Albiam ubi Bilena mergitur in Albiam, dehinc in ortum Bilene, inde ubi Travena absorbetur à mari, deinde usque quoque perveniatur ubi Pene fluvius currit in mare Barbarum. Inde in ortum ejusdem fluminis. Hinc in Eldam. Dehinc in Albiam, inde in rivum Alend. Inde in rivum Bese, inde in Rodouve usque in paludem, quæ dicitur Rokesford. inde in Horam fluvium, Callenvorde. Inde in ortum Horæ. Hinc in ortum Hisnæ. Hinc in rivum Scarbeck. Inde in ortum Geldbach, & ipsum rivum in decensu in Ursenam, & in ascensu Ursenæ in Wikenam, hinc in ortum ejusdem fluminis, hinc in paludem quæ dicitur Snederbroch, hinc in Lernam, & per mediam paludem, quæ dicitur Camperebroch & sic trans Aleram in Wirrabam. Et ut hæc auctoritas hujus donationis & circumscriptionis nostræ in Dei nomine firmiorem

& ple-

& pleniorem obtineat vigorem, & nostris & futuris temporibus à fidelibus Christi verius credatur, & diligentius observetur, manu propria subscripsimus, & sigilli nostri impressione assignari jussimus.

SIGNUM  *DOMINI*
CAROLI *REGIS*
SANCTIS- *SIMI.*

LVLLO Archiepiscopus Mogunciensis recognovi.

HILDEBALDVS Archiepiscopus Coloniensis & sacri Palacij Capellanus recognovi.

AMALHARIVS Treverensis Archiepiscopus recognovi.

Data III. Kalendas Julij, Anno Dominicæ incarnacionis DCC LXXXVI. Indictione XII. ánno autem regni Domini Karoli XIIX. Actum Moguncia feliciter. AMEN.

Pag. 29. l. 21. *Eidoram quoq;.*) Nonnulli habent *Oram*, alii *Oderam*. Vtrumq; autem mendosum esse vel inde liquet, quoniam nec *Ora*

neq; *Odera* unquam fuit regni Danorum *termi-nus*. De Eidora autem id teſtantur plurima ve-terum monumenta;quod optimorum recentioris ævi hiſtoricorum teſtimoniis, tantum non in-finitis, facile etiam fuerit confirmare, ſi opus ſit. Meretur obſervari, quod pridem ante Chriſtum natum; cum duellum inter Vffonem Regis Da-niæ Wermundi filium & Saxoniæ regem eſſet committendum, congreſſi illi ferantur circa Egido-ram fluvium, tanquam in Saxoniæ & Daniæ jam tunc ultimis finibus. Quam rem præter Saxo-nem Danicum ſcriptorem, memorat Crantzius l. 1. Daniæ cap. 21. Hinc ſane liquidum fuerit, Eido-ram jam ante natum Salvatorem fuiſſe habitum Saxoniæ pariter & Daniæ extremum limitem. Sed hiſtoria apud me non invenit fidem.

AD CAPVT V.

PAg. 34. l. 18. *plus quam comiter.*) Eginhartus, quo illius ævi nemo fuit peritior Carolinarum rerum, *tributarias* redditas illas regiones Vene-dicas memorat, ſed nihil præterea. Verba ipſius producta ſunt jam tum capite ſecundo.

Pag. 36. l. 16. *ſummo Germaniæ commodo.*) Ex eo autem fere tempore cœpit Germania dividi

inter

inter quammultos Duces, & quidem jure hæreditario, cumq; ampla adeo poteſtate, ut parum ſuperfuerit tandem diſcriminis inter vere regiam & ducalem eminentiam. Cœpit vero tunc eodem modo laborare & Italia pariter ac Francorum in Gallia regnum. Et verò etiam Romanorum cum ſupereſſet Imperium, à quarto uſq; Chriſtiano ſeculo, provinciarum rectores Ducum nomine audiebant: ſatis arcta autem fuit illorum auctoritas, ab Imperatorum arbitrio, & quovis momento ſuſpenſa; nihil minus ſanè quàm hereditaria. Quam omnem rem alibi latius ſumus perſecuti.

AD CAPVT VI.

Pag.39.l.20.*jure an injuria.*) Obiter hîc tantum monemus, ab Adriano II Papa Carolum Calvum Regem hujus occupationis cauſſa penè fuiſſe excommunicatum: ſed non a Rege duntaxat ſed etiam communi Lotharingicorum Francorum conſenſu hanc novi exempli excommunicationem ſpretam imò exploſam fuiſſe. Quoniam ſcilicet omnibus erat perſuaſum, Regnorum ſucceſſiones neutiquam mere eſſe hæreditatem Regiæ familiæ, ſed potiſſimum juris electitii populi;

cui fas ſit urgente reipublicæ neceſſitate de Regnis diſponere in commodum commune. Hac ſane de cauſſa Carolo Calvo obtulerunt proceres Lotharingici regnū illud, quum â Normannorum incurſionibus graviſſime afficerentur, atq; ex Italia vel nullum vel non niſi ſerum auxilium poſſet exſpectari. Liquidò hæc omnia patent ex Epiſtola, quam pro Carolo Calvo Rege tunc ſcripſit Hincmarus Remenſium Archiepiſcopus ad Papam illum Adrianum ſecundum: cujus primam editionem Flacio debemus, quamq; pòſt Tomo x Annal. ad annum 872 §. 92 & ſeqq. contumelioſe perſtrinxit Baronius, operibus tamen Hincmari inſeruerunt editores Pariſienſes.

Pag. 43. l. 9. *Tabulis fœderis.*) In Tabulis illis nulli memorantur Lotharingiæ procerum ſive Epiſcopi ſive alii, qui non ſteterint à partibus Caroli Simplicis, à partibus autem Henrici item ſoli Germani. Nec aliud illis fuit pactum præter mutuam amicitiam. Itaq; errarint noſtri hiſtorici, narrantes iſthoc pacto redditam Lotharingiam Henrico Germanico, ſi fidem mereantur illæ Tabulæ. Et Blondellus quidem *Genealog. Francica pleniore Aſſert. pag. 263* non dubitavit ſcribere, *finxiſſe* Continuatorem Reginonis, Sigebertum,

& Otho-

& Othonem Frisingensem, factam Bonnæ aliquam à Carolo Lotharingiæ cessionem: idq; quoniam tale nihil habent Fœderis Tabulæ. At verò fidem illis Tabulis debuisset potius firmis rationibus adstruere. Esto autem illa bona. Erraverint quidem nostri illi in anni designatione; attamen non multò pòst à Carolo Rege jam captivo redditam omnem Lotharingiam Henrico, ipsemet Blondellus diserte confessus est *pag.264.* hisce verbis: *Summa post Bonnense pactum Caroli in Lothariense regnum potestas illibata mansit: at ubi* (Dithmar. l.1.) *carceralibus se tenebris inclusum vidit, Henrici (anno circiter 923) auxilium implorans, ei dexteram Christi martyris Dionysij, & cum eo omne regnum Lothariorum, si ab eo liberaretur, sibi traditurum promisit. Exinde* (Flodoardus) *invitantibus Gisleberto Comite, & Rotgerio Trevirorum Præside, qui nec dum se Rudolpho Carolo suffecto subdiderant, Rhenum transmisit; nec arridentem fortunam urgere desiit, donec cuncti se Lotharienses ipsi anno 925 commiserunt. Annoq; sequenti regnum Lotharingicum auspicatus est. Quod ex Adalberonis Metensium Præsulis charta in Gorzcensium gratiam scripta clarum est. Hoc enim fine clau-*

ditur: *Actum Metis publicè, sub die 17 Kal. Jun. anno ab incarnatione Dom. nostri Jesu Christi 933, regni autem gloriosissimi Regis Henrici in regno Lothariensium octavo, Episcopatus autem Domini Adalberonis, qui hoc scriptum fieri jussit, quinto. Anno 927 Legatos ad eum trans Rhenum dirigere coactus, imo per ipsos ad colloquium evocatus Heribertus, eum muneribus honoravit, ab eo vicissim honoratus: ac tandem Carolum de custodia ejecit. Qui cum anno 928 ad paucos dies sub custodia redactus fuisset, anno 929 Octob. 7. apud Peronam ærumnosam vitam finivit.* Hæc omnia Blondellus. In quibus quia ingenue provocavit ad testimonium Dithmari Episcopi Mersbürgensis, quem constat vixisse regnantibus Ottone III & Henrico Sancto, ipsa viri verba itidem in medium hic adferemus ex libro 1. pag. 13 edition. Reineccianæ. *Fuit in occiduis partibus quidam Rex, qui ab uno suimet Ducum captus tenebris includitur corporalibus. Hic Henrici regis nostri, nepotis autem sui, implorans auxilium, dextram Christi martyris Dionysij, & cum ea regnum omne Lothariorum, si ab eo liberaretur, sibi traditurum sacramentis pro-*

promisit. Nec mora inclytus miles invictricibus se armis circumcingens, proximum laborantem visitat, & in ereptione ejus ac restitutione diligens operator mercedem suam promeruit, & honorem pristinum sibi suisq; successoribus in tantum adauxit.

Pag. 44. l. 8. *Rudolphus rex.*) De illo Blondellus l. 614. hæc addidit: *Rudolphus verò qui Caroli loco in Francia Occidentali regnabat, anno 923 à plurimis Lotharienfium susceptus in regno fuerat; anno 925 Cameraci Gislibertum & Ottonem suos effectos in gratiam receperat; anno 935 ad Henrici colloquium properavit, pactâ cum eo amicitiâ, Bosonem germanum recipi, terram quam prius habuerat ej ex magna parte restitui curavit, annoq; sequenti Januarij 15 vivere desiit.* Desumpsit verò plæraq; hæc Blondellus itidem ex Flodoardo.

Pag. 47. l. 1. *Axel & Hulst.*) Merentur de hoc argumento legi quæ notavit Ludovicus Gvicciardinus, ubi agit de Flandria Imperiali.

Pag. 47. l. 9. *Ottone II.*) De illo ita scribit Ditmarus Mersburgensis l. 3. *Post hac autem Imperator omni studio ordinavit expeditionem suam adversus Lotharium regem Karolingorum, qui*

in Aquisgrani palatium & sedem regiam, nostrum semper respiciens dominium, valido exercitu præsumsit invadere, sibiq; versa aquila designare. Hæc stat in Orientali parte domus: morisq; fuit omnium hunc locum possidentium, ad sua eam vertere regna. Quem celeriter abeuntem Cæsar insequitur, depopulatis omnibus & incendio consumptis usq; ad Parisiam sedem. Reversus inde Imperator triumphali gloriâ, tantum hostibus incussit terrorem, ut numquam pòst talia incipere auderent, recompensatusq; est his, quicquid dedecoris intulere nostris. Non multo post: *Imperante tunc prædicto Ottone sex annos, Lotharius rex cum filio suimet, ac muneribus magnificis, ad eum venit, ac sibi satisfaciens amicitiam ejus firmiter acquisivit.* De illo inter Ottonem *II* & Lotharium fœdere ita scripsit Sigebertus. *Anno 980 Otto Imperator & Lotharius rex convenientes super Charum fluvium, pacificantur datis invicem sacramentis, & rex Lotharius Lotharingiam abjurat.*

Pag. 47. l. 17. *in beneficium sive feudum.*) Usq; adeo Nangiana isthæc narratio omni caret verisimilitudine, uti ipsemet Blondellus, quo nemo Gallicam illius ævi gloriam acrius defendit,

pag.

pag. 266 plenior. Aſſertion. Genealogiæ Francicæ illam reprobaverit; notans tamen, Nangium hoc ſuum accepiſſe ex Hugone Floriacenſi. Scribit quidem etiam Gerbertus ep. 35 ad Geraldum Abbatem Auriliacenſem, de Rhemenſium Archiepiſcopo Adalberano: *A Lotharienſis regni primatibus obſides accipit, & filio Imperatoris parere cogit, ſub Regis Francorum clientela.* Sed *clientelæ* vox nihil hic aliud notat quam tutelam, Ottonis ſcilicet adhuc pueri, tantiſper dum adoleſceret ille & patrono opus habere deſineret. Id quod Blondellus etiam candidè annotavit *pag. 267* libri citati.

Pag. 48. l. 18 *Mandatis & apicibus ejus obtemperans.*) Notatu dignum; & Ottonem potuiſſe *mandare & Lotharium Regem obtemperaſſe mandatis atq; apicibus.* Legi tamen etiam merentur, quibus Blondellus fidem hujus narrationis ſuſpectam reddere conatus eſt *pag. 267.* Vtut autem ſit, certum eſt Virdunum ut & Coloniam urbes Ottoni redditas, ſive id ſponte factum fuerit ſive metu majoris mali. Hinc l. c. ipſe Blondellus ita loquitur: *Univerſa Lotharingici regni poſſeſſio penes Ottonem III illibata manſit, nec Hugoni Capeto poſterisq; regibus, jam-*

dudum cum Transrhenanis Principibus de ea litem armis dirimere vacavit.

Pag. 49. l. 1. *Epistola 72.*) Idem Gerbertus epistola 100 ad Ecbertum Trevirorum Episcopum refert, Virdunum sponte à Lothario Rege esse restitutum. *Quantum,* inquit, *utilitatis reipublicæ contulerit, quantumve collatura sit pax inter Reges nostros bene fundata, testis est civitas Virdunensium, sine cæde & sanguine, sine obsidibus, sine pecuniis, in integrum Imperio vestro restituta; testis erit Colonia, rebus sibi diu subtractis in integrum restituendis.*

Pag. 49. l. 9. *Barro Campano Francico.*) Idem docuit Genealogiæ Francicæ plenioris assertionis, libri in hisce Annotatis sæpius laudati, pagina 266.

Pag. 49. l. 11. *Balduinus.*) Hæc etiam narrantur à Sigeberto ad annum 1006 & 5007. Rem omnem plane atq; fideliter memoravit σύγχρονος Ditmarus l. 6. Chronicor. hisce verbis. *Interea Balduinum ducem juventus, & rerum affluentia, ac mala iniquorum inflatio, adversus Regem armavit, & Valentinam urbem possidere, potestatiq; suimet subdere, suasit. Quod rex ubi primum comperit, ipse cum suis militibus accedens, eripere eandem assidua*

assidua pugnatione tentavit, & nil proficiens abiit, expeditionem suam in proxima æstate super Balduinum fieri, Orientalibus & Occidentalibus firmiter indicens. Advenit optatum tempus, exercitus grandis colligitur, & à Rege cum eodem ad Sealdem fluvium pervenitur. Ibi se Balduinus armato milite præsentans, transitum Regi prohibere frustratoria spe nititur; sed prudente consilio quorundam nostri navibus alio latenter transvecti, ejusdem nimiam præsumptionem, ex improviso irruentes, confundunt. Fugiente eo Rex in Christo victore lætatur, flumen transgreditur, vicinitatemq; contiguam populatur. Cum autem ad Abbatiam quæ Gent dicitur veniret, à confratribus illius Ecclesiæ susceptus, loco eidem & bonis appertinentibus cunctis pepercit. Tandem Balduinus magna necessitate coactus, humili supplicatione veniam impetrat, & non longè post per manus Regis Walecra & prænominatam urbem in beneficium adipiscitur. Hæc omnia Ditmarus

Pag.50.l.21.cepit appellari.) EGIMVS proximè de Lotharingia universa, ab ipsismet ultimis Carolovingicæ familiæ in Gallia regibus Germanico regno concessa, & per Capetanos Christianissimos successores hactenus nunquam, veterum

pretextu jurium, per annos ſeptingentos circiter, repetita. Qvoniam verò Lotharingicum regnum omnium primum eſt eorum, quæ ex Lotharii Imperatoris tertia integri & vaſti Francorum Regni, quale illud Carolus Magnus & Ludovicus Pius poſſederunt, portione, Germanico regno acceſſerunt, à nuperis autem quibusdam Gallis nova, nec antehac unquam audita, de Chriſtianſſimorum Regum in cuncta Imperii Carolini ſuperſtite jure ſine rubore proferuntur, toti orbi terrarum convellendo idonea, fortaſſis haud intempeſtivum fuerit, ſaltim pauca quædam iſthoc de argumento heic adjicere. Nec verò nunc tangam illa quæ de jure Galliæ Regum in univerſum terrarum orbem Claudius du Pre, Jacobus Charron aliiq; jam antehac non dubitarunt prætendere eo nomine, quod Galli ſint Gomeri, filii primogeniti Japheti, progenies, cui proinde ratione juris primogenituræ omnia competant; jam enim obſoleta propemodum hæc ſunt deliria, & ab omnibus, quod equidem ſciam, paulò prudentioribus quamvis Gallis in furorum ordinem relata.

Cœterum illud cujus paulò ante memini, etiamnum in ore eſt complurium, & majorem

non-

nonnihil veri ſpeciem invenit. Ante omnia verò etiam eſt atq; etiam obſervandum, à nemine Chriſtianiſſimorum Regum tale quidquam jactatum eſſe hactenus ſive reapſe ſive ullo verbulo. Vt proinde tales novas ſententias ipſiſmet Regibus quaſi auctoribus tribuere velle non minus nefas fuerit, atq; ſi illa quorundam juris doctorum placita, de Romani Imperii ſuperſtite jure in univerſum orbē aut ſaltimi in illa quæ à Romanis quondam fuerunt poſſeſſa, Germanicorum noſtrorum Cæſarum conſenſui velis referre acceptum. Tam ſane hæc remota ſunt à ſententiis ut noſtrorum Auguſtorum ita & Chriſtianiſſimorum Regum, quantum ſapientia diſtat ab inſania. Non ſane ipſimet Chriſtianiſſimi Reges propterea ſuſpecti eſſe cuiquam debent, quoniam libelli nonnulli talia profeſſi, à typographis ſint editi indultu Regio impetrato. Plane idem enim eſt frequenter factum in Italia pariter & Germania, nulla Imperatorum noſtrorum culpa vel minima, etſi & illi caviſſent typographis, de non permittenda nova librorum ejusmodi recenſione. Quid? quod in media Gallia etiam ſcriptores nonnulli aperte muſtea illa popularium quorundam ſuorum ſomnia improbaverint? Quaſi

unum pro omnibus ſuffecerit fortaſſis teſtem laudare Silhonum, cujus in libro *Miniſtre d' Eſtat* pag. 129 hæc verba ſunt: *Ainſi nous aurions tort, de vouloier recouuer les pertes des premiers ſucceſſorois de Charle magne, et deterrer ces vieilles querelles, dont a grand peine l' hiſtoire a pour conſerver quelque veſtigia qui fuſt entrier, et quelque lumiere, qui ne fuſt poine trouble. Perperam ageremus, ſi vellemus repetere ea, quæ perdiderunt proximi ſucceſſores Caroli Magni, & revocare in lucem antiquas illas contentiones, quarum hiſtoria vix potuit ullam conſervare memoriam, quæ ſit ſine labe.*

Quod rem ipſam porrò attinet, novitii illi diſputatores, in eo quidem pernicioſo dogmate conveniunt; quod ſummis quibusq; poteſtatibus ſemper maneant integra recuperandi jura, quæ à majoribus fuerunt quondam poſſeſſa. Sed improbum hoc placitum jam tum operis hujus nonodecimo capite convulſum eſt & hoc ipſo libro tertio in Annotatis denuo conculcabitur: ideoq; nunc quidem illud patiemur conquiniſcere. Non uno autem eodemq; prætextu ſcriptores iſti utuntur. Alii enim contendunt, omnia unquam à Regibus occupata eſſe in patrimonio

non

non Regum sed populi: populo igitur esse jus per Reges suos recuperare quæ unquam fuerunt possessa. Ac proinde juris esse Francogallorum Regum, omnia quæ à tempore usq; Clodovæj Regis Franci ullo tempore possederunt, sibi iterum vindicare. Alii volunt, Capetanæ familiæ Reges Carolovingorum esse hæredes, atq; ita Capetanis hereditariam successionem in omnia à Carolo Magno quondam possessa jure isthoc competere. Primi agminis sunt plures, atq; adeo & Auberius ille, cujus liber, *Des juste pretentions Du. Roy sur l' Empire* prodiit in lucem Parisiis anno 5667. Alterum ordinem ducere cepit jam tum anno circiter seculi hujus tricesimo octavo Jacobus Cassanus, Regius in Biterrensi Prætorio Advocatus, libro inscripto *De la roche des droits du Roy & de la couronne de France*.

Vtrisq; oppugnandis sufficit haud immerito sola sententiarum istarum novitas. Non sane Christianissimorum Capetanæ gentis Regum quisquam, nemo item totius numerosi & docti populi Francogallici, ullo unquam momento ejusmodi voculas sparserunt, à plurimis jam seculis. Esto præterea, omnia fuisse acquisita Francico populo: nihil hoc facit ad hodierna etiam tem-

tempora; quoniam ex. gr. Lotharingiæ alienatio non à ſolis Regibus facta eſt ſed ſimul etiam à populo, quia omnibus Regum conventibus adfuiſſe & procerum delectos quammultos, conſtanter memorant hiſtoriæ. Pridem igitur ipſe populus Lotharingiam alienavit: neque ex illo tempore populus Francogallicus unquam vel nutu de injuria ſibi facta eſt conqueſtus, ſed firmam pacem cum Imperio Germanico coluit. Sane ſi populo Francico fas fuit acquirere terrarum aliarum dominia, fas etiam eidem fuit amittere dominium illud ſive ſpontanea alienatione, ſive derelictione, imo etiam per vim majorem prout ante illa armis potiſſimum acquiſierat. Omnes ergo non Reges duntaxat ſed etiam populus pro derelicto habuerunt vetera illa deperdita. Vnde liquet, nova iſthæc placita eſſe iniquiſſima, & nihil aliud quam turbulentas paucorum adulantium cauſidicorum machinationes. Quod ſi porro primis occupatoribus omnia à Francis unquam poſſeſſa jure debeant reddi, non Francogallis illa ſed Germaniam hodieq; incolentibus Francis Orientalibus cedenda cuncta iſthæc fuerint. Noſtri enim illi verè originarii ſunt Franci, horumq; majores ipſam Galliam effecerunt ſuam.

In verorum porro Francorum & nomen & rempublicam multis ſeculis Germaniæ omnes populi ſunt adoptati: ac proinde æquali ſaltim jure ad populos Germanicos pertineant veteres Francorum poſſeſſiones velut ad Gallos alienigenas: hi utiq; non debent in Germaniam ſaltim iſthoc obtentu ſibi vel tantillum arrogare. Certe id qui faciunt homines nuperi iſthac in re agunt iniquiſſime. Caſſanum deniq; quod attinet, nihil illius commento quidquam eſſe vanius, liquidum eſt omnibus & Carolovingicæ & Capetanæ Chriſtianiſſimæ gentis rerum vel leviter peritis. Omnia enim utiq; monumenta teſtantur, Hugonem Capetum nullo hereditario jure ſed ſola libera Occidentalium Francorum electione Regiam dignitatem eſſe conſecutum: nec niſi ſola affinitate Carolovingicam familiam attigiſſe. Vſq; ſane adeo Caſſaniana illa ab omni ſunt vel ſimilitudine veri aliena, ut ipſemet Blondellus non potuerit non hominis inſanum illud dogma acri animadverſione perſtringere. Digna eſt quæ cum cura expendatur magni illius Gallicorum jurium hyperaſpiſtæ cenſura, qualis habetur in *Præfatione Apologetica* dicta. Eſt quidem illa nonnihil forte prolixior, quoniam tamen Blondelli illud opus in

paucorum est manibus, censura autem illa viri doctissimi omne hoc argumentum egregie illustrat, itaq; non pigrabimur hoc loco verba ipsa censuræ adjicere, & hanc quidem concertationem hoc ipso nunc claudere.

Dum utrinque vi geritur res, Jacobus Cassanus *Regius in Biterrensi prætorio Advocatus, bono, sed parum cauto zelo, suo certe periculo, cum multa probabilia, sed nondum satis comperta scriberet, de Regis Christianissimi in Regna, Ducatus, Comitatus, urbes, regiones ab externis occupatas, juribus, circiter anno 1638 edidit: ejusq; statim* Besianus Arroijus *Lugdunensis Ecclesiæ Theologus libello, Quæstiones decisæ inscripto, vestigia pressit. Vterque Hispanicæ partis hominibus & bilem movit, & quicquid illa suggerebat evomendi libidinem provocavit.* Cornelius Jansenius *Theologus ob susceptam animose causam Iprensi paulo post Episcopatu auctus, sub Patricii Armacani larva latens, in Marte suo Gallico nihil non virulentarum calumniarum in Francos tam veteres quam hodiernos effudit. Quas una litura, redempta anno 1648 cum fœderatis Belgii Ordinibus pace, percussoque nuper cum Anglis à Papæ cultu ac communione alienissimis*

fœde-

fœdere, idipsum quod in aliis improbabat admittens Hispanica gens induxit. Accessit Franciscus Zipæus *Juris consultus Portunatarius Apost. Canonicus, Officialis & Archidiaconus Antverpiensis, qui id sibi negotii credidit solum dari, ut Jacobi Cassani, quasi Francorum omnium esset, hiatum obstruxisse videretur. Postremus, velut prælio ad triarios redeunte, in arenam descendit, eum quô mihi proprie res est,* Joannes Jacobus Chiffletius *Hispanici Regis Archiater.*

Cum infinitis fere modis Capetinam gentem Carolino sanguine imbutam fuisse constet, idque ad oculum ipsi demonstraverimus, non injuriâ, Christianissimum Regem qui totius gentis caput, Caroli Magni nepotem, imo in nepotibus principem haberi & dici voluerat Cassanus. Sed quod universam Carolinæ gentis hereditatem, hoc ad eum nomine devolutam fuisse, & quotquot ejusdem partes quomodocunque possident, aliena suô tempore restituenda occupare, scripsit; (ut de falsitate nihil dicam,) invidiosum plane & intempestivum jure videri potuit: quandoquidem Capetus noster ad regnum hæreditariô jure, qua Caroli per matres nepos erat, evectus non est, sed liberæ & legitimæ electionis viâ, qua imperio dignissimus visus postrêmo Carolino regni in capaci,

ut novam deinceps posteris successionem fundaret, à Francis universis suffectus est. Nec sine absurditate & ἀντιλογία ab eo qui Salicum jus fœminas à regno arcens defendebat, id fundamenti loco sterni potuit, Capetum ductu tantum fœmineo à Carolo oriundum, natalium jure Carolinam hæreditatem crevisse, idque ipsum eum maternæ origini debuisse, quod deberi per vetustum regni morem nequaquam poterat. Quis enim non videt à matribus, quarum ad regnum jus nullum est, juris quo absolute carebant, nihil nepoti tradere jus fasque fuisse? Fuerit ergo (si maternum decus spectare libeat) & ante regnum illustrior, & post electionem legitimam Rex nobilior; non tamen magis Rex, quam fuisset, si ex familiâ quam Carolinus tradux nullo modo contingeret, genus suum repetivisset. Nec aliud in eum ex ditione Carolina electionis jure translatum est, quam quod postremis Carolinis, Ludovico IV Lothario & Ludovico V obvenerat, iidemque Francis Occiduis, quibus solis imperabant, quosque de aliis Carolini Imperii membris extra fines suos sitis, statuendi potestate absolute destitutos fuisse, res ipsa clamat, transferendum reliquerant. Demus tamen, quicquid usquam Carolini domi-

nii

nii fuit, ad Capetum & posteros avitæ successionis jure devolutum fuisse, nec ad alios legitimâ ullâ viâ transire debuisse: Annon ideo momento & tempore ebuccinare inconsultum & intempestivum fuisset, quò Franciam Occidentalem, dominii ejusdem in Germania Italia Belgio quomodocunque possessorum, viribus aut favore subnixam, adversâ fronte cum Hispanica idipsum (quantum quantum est) inani spe jam dum devorante concurrere necesse erat? Galliam, Germaniam, ipsamque eis Iberum Hispaniam Francici regni titulo, Italiam Longobardici regni & Imperii Romani jure, sibi Carolus Magnus vindicaverat, & posteris vindicandum dederat; si soli ex iis Capetini supersint, nec justos alios Dominos vasta illa Carolinæ ditionis compages ferre possit, ad quoscunque sive major sive minor ejusdem portio tempore ullo devenerit, aliena ab initio invasisse, iisque nunc insedisse, ex Cassaniana hypothesi statuendum fuerit. Sic Papa totius Imperii Romani, quod ab anno 800 in Occidente rursus fundatum est, & regni Longobardici in Spoletano, Beneventano, Ferrariensi, Vrbinate Ducatibus, Marcaque Anconitanâ: potens resp. Veneta, Rhætica,

Genuensis, & Lucana; Tusciæ, Mantuæ, Mutinæ, Parmæ, Duces, Subalpinæ regionis Principes, &c. in Italia: Helvetii, Sabaudus, Lotharingus, Belgii fœderati Ordines, Moguntinus Coloniensis Trevirensis Palatinus Electores, Cliviæ & Juliaci Duces, cum Ecclesia Leodiensi in Gallia: universi Imperii Principes Proceres civitates in Germania: Capetinorum spoliis induti æternum sibi ab iis, ne quando sua armis, aut ullo quocunque modo reposcant, metuendum non injuria censuerint; nec sine occulto odio & horrore infestæ (si suo jure uti velit) gentis decus & prospera contuebuntur, tantumque à fœderibus cum ea vel servandis vel percutiendis aberunt, ut inpendentis ab eâ periculi, nunquam non pectus lancinantibus suspicionibus efferati, de ea ne unquam tremendas è proximo cristas attollat, conjunctis virtutibus opprimenda, in communi consultaturi videbuntur. Quod Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ. Sed nihil orbi Christiano à Capetina familia, antiqua hæreditarii regni possessione contenta, noxæ paratur. Nihil illa in damnum vicinorum (quos quantum licebat benigno semper sinu fovet) moliri solita est. Non se ad alia omnia regna colligenda natam putavit unquam

quam

quam; quæ tam insani fastus fermento turgentes ferre nequaquam potuit. Nec ostentato Cassaniani terriculamenti spectro percelli quisquam debuit. Hactenus doctissimus Blondellus.

AD CAPVT VII.

PAg. 42. l. 20. *Capitulis Calvi.*) Videatur integer Titulus quadragesimus tertius Capitulorum istorum, cura Sirmondi collectorum pariter & in lucem editorum.

Pag. 43 l. 20. *Vtrech.*) In Historia Vltrajectina Wilhelmi Hedæ, ubi agitur de Hungaro undecimo Episcopo, reperitur diploma inscriptum: *Confirmatio Ludovici sub Hungaro.* Esse illud profectum à Ludovico Germanico Pii filio satis quidem liquet, nec male numeratus & subscriptus est *Annus XXI regni in Orientali Franciâ.* Deficit autem annus Christi: qui proinde suppleri debet, respectu habito ad illam Lotharingiæ inter Ludovicum & Carolum institutam divisionem.

Pag. 49. l. 16. *Miræi editione.*) Emendatiora omnia & longe pluribus atq; locupletioribus notis illustrata secundâ vice in *Belgicis suis* dedit idem Miræus. Quæ proinde & legi hic debent & cum curâ expendi. Nec verò omnia etiam

ista huc adferre operæ fuerit pretium. Tanti tamen illa, nec immeritò, fecit diligentissimus Germanicarum Antiquitatum ruspator Vorburgius, ut magni ac stupendi operis duodecimo volumini pag. 590 & aliquot sequentibus integra inseruerit. Vbi igitur legi itidem hæc poterunt: quanquam Vorburgiana isthæc volumina paucos hactenus lectores invenerint, & infra meritum soleant vulgo æstimari: gratum mihi V.C. donum.

Pag. 50. l. 20. *In Tabulis nulla.*) Imò disertis verbis inter eas partes Lotharingiæ, quæ Carolo Calvo obtigerunt, fit mentio *Barrensis* sive *Barrois*, hoc est Comitatus Barrensis. Nec vero hoc habet sola Miræj sed etiam ipsamet Pithœj & Sirmondi Tabularum istarum editio. Vt ergo ipsæ illæ Tabulæ pro jure Imperii præbeant longe firmissimum testimonium.

AD CAPVT IIX.

Pag. 71. l. 8. *Rodulphus.*) Henrici quoq; successores itidem præter Lotharingiam Galliæ nihil vel appetiisse dixeris, ideoq; signis utrumq; Regnum fuit separatum. Albertus Stadensis Abbas adhuc suo ævo scripsit in Chronico *pag. 183* editi-

editionis Reineccianæ, ubi Jtinerarium aliquod Romanum describitur per Lotharingiam & GalloFranciam : *Quod si contigerit ad sinistram manum, ad proximam villam declinans, ibi transeas & Rulie. Ibi lapis positus est in media villa juxta viam, quæ disterminat Imperium & Regnum Franciæ.*

Pag. 72. l. 22. *At primùm.*) Bonifacius duplicis prætextu juris usus est in donanda Galliâ. Potissimus eorum fuit, quod Temporalem, ut vocant, non minus quam Spiritualem supremam potestatem Pontificibus Romanis omnibus, atq; adeo & sibi, à Christo concessam esse, tanquam vicario in omnia regna, non dubitaverit profiteri; sectatus dogma Papæ Hildebrandi, à cujus ætate usq; Curia Romana illam antehac numquam auditam potestatem sibi jam arrogaverat. Merentur hac de re legi, quæ recepta sunt & promulgata Bonifacii hujus auctoritate, *Extr. commun. Tit. IIX capitulo Vnam sanctam.* Alter prætextus videtur petitus, à donatione illa famosa, non minus improbè tamen ficta, Constantini Magni, de Imperio Romano Occidentali, à quo nempe illud fuerit in Romanos Papas translatum. Etiam Galliæ scilicet regnum isthoc do-

no in jus Romanæ Curiæ perveniſſe, tanquam partem Romani Imperii. Hinc ſanè, ſolita ſibi impotentis animi vehementia, etiam iſthoc nomine invectus eſt in Gallos, quod non agnoſcerent Imperii Romani ſuperioritatem. Igitur quod à me hoc loco eſt monitum, ingenue fateor, nihil aliud docere, quam tunc temporis reipſa Imperio Germanico Galliam non fuiſſe ſubditam. Jura tamen poſſidendi Galliam Imperio Romano vindicaſſe Bonifacium, neutiquam negandum eſt. Liquet illud luce meridiana clarius ex Oratione Papæ illius, quam habuit de Alberto Cæſare recens electo. Primus illam publicavit Stephanus Baluzius, de omni antiquitate, ſacra pariter & profana, Galliæ cumprimis, ſine exemplo optime meritus, ex Bibliotheca ampliſſima Colbertina, atq; addidit ad *l. 2. c. 3.* incomparabilis operis Petri de Marca *de Concordia Sacerdotii & Imperii* ſecundæ editionis, quam viri ſummi liberaliſſimo munere poſſideo. Etſi enim illius Orationis omnia huc non pertineant, ſed quædam duntaxat: univerſa tamen etiam hoc loco expendi optimo jure commerentur.

ALLE-

ALLEGATIO DOMINI PAPÆ BONIFACII

PRo Confirmando Rege Romanorum Alberto affuit tempus quo ſol refulſit, qui prius latebat in nubilo. Machabæorum II. Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei; luminare minus, ut præeſſet nocti. Hæc duo luminaria fecit Deus ad litteram, ſicut dicitur in Geneſi. Et nihilominus ſpiritualiter intellecta fecit luminaria prædicta, ſcilicet Solem, id eſt, eccleſiaſticam poteſtatem, & Lunam, hoc eſt, temporalem & Imperialem, ut regeret univerſum. Et ſicut Luna nullum lumen habet niſi quod recipit ab eccleſiaſtica poteſtate. Licet autem ita communiter conſueverit intelligi, nos autem accipimus hic Imperatorem, Solem, qui eſt futurus, & hoc eſt Regem Romanorum, qui promovendus eſt in Imperatorem, qui eſt Sol, ſicut Monarcha, qui habet omnes illuminare & Spiritualem poteſtatem defendere, quia ipſe eſt datus & miſſus in laudem bonorum & in vindictam malefactorum. Per dies autem intelligimus bonos, & per noctem intelligimus malos

peccatores & tenebroſos, juxta illud: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Per dies autem intelligitur poteſtas eccleſiaſtica, ſeu terrena juxta illud: Dies firmabuntur, & nemo in eis. Quia non poſſunt dicere: Ego Pauli, ego ſum Apollo. Sicut enim à Chriſto Chriſtiani dicuntur, ſic à Chriſto & Chriſti Vicario ſucceſſore Petri formantur & defenduntur omnes dies, hoc eſt, omnes poteſtates; & nemo in eis, quia non poſſunt dicere, ego Pauli ego ſum Apollo. Sed omnes ſunt à Chriſto & à nobis tanquam à vicario Jeſu Chriſti. Vnde hæc nota & ſcripta ſunt, quod Vicarius Jeſu Chriſti & ſucceſſor Petri poteſtatem Imperii à Græcis tranſtulit in Germanos, ut ipſi Germani, id eſt, ſeptem Principes, quatuor Laici & tres Clerici, poſſint eligere Regem Romanorum, qui eſt promovendus in Imperatorem & Monarcham omnium Regum & Principum terrenorum. Nec inſurgat hic ſuperbia Gallicana, quæ dicit quod non recognoſcit ſuperiorem. Mentiuntur: quia de jure ſunt & eſſe debent ſub Rege Romano & Imperatore. Et neſcimus unde hoc habuerint vel adinvenerint: quia conſtat quod Chriſtiani ſubditi fuerunt Monarchis Eccleſiæ Romanæ & eſſe debent. Nec habent hoc à

lege veteri vel nova, nec aliquo Propheta, vel Evangelio, vel Apostolo. Unde hic dicimus quod dicit Apostolus: Et si quis evangelizaverit vobis aliud quam evangelizamus, etiam Angelus de cœlo, anathema sit. Et nos volumus, quod quicunque evangelizaverit aliud, anathema sit. Ille quidem, videlicet electus in Regem Romanorum, prius fuit in nubilo arrogantiæ & ignorantiæ. Etenim non fuit devotus ad nos & Ecclesiam istam sicut debuit. Nunc autem exhibet se devotum & promptum ad faciendum omnia quæ volumus nos & fratres nostri & Ecclesia ista. Unde nunc venit & affuit tempus miserendi ejus, sicut alibi dicit Apostolus: At ubi venit plenitudo temporis. Venit quidem tempus ut constituamus eum super gentes & regna, ut evellat & destruat, dissipet & dispergat, & ædificet & plantet. In nomine Domini constituimus sic eum hodie, non in hodie æternitatis, de quo dictum est filio, Ego hodie genui te, sed in hodie temporis. Sicut enim pater dedit filio potestatem non in tempore, sed in æternitate, sic Christus homini & Christi Vicario dedit potestatem in tempore, ut ipse habeat jus constituendi Imperatorem & Imperium transferendi. Et attendant hic Germani, quia

sicut translatum est Imperium ab aliis in ipsos, sic Christi Vicarius successor Petri habet potestatem transferendi Imperium à Germanis in alios quoscunque, si vellet, & hoc sine juris injuria. Tamen dicit Sapiens: Quod justum est justè exequeris. Vnde si subveniret justa & legitima causa, justè posset transferre; & justa faceret, si eos privaret. Tamen hæc fuit semper patientia istius Ecclesiæ, quæ magis voluit cum eis de benignitate agere quàm de rigore, ut non privaret eos, licet juste privare potuisset. Et licet etiam multi essent defectus in electione istius, nos tamen volumus supplere omnem defectum, & magis de benignitate quam de rigore supplemus de plenitudine potestatis. Vnde electionem de ipso factam approbamus & ratificamus. Et quia, sicut dicitur in jure, ratihabitio retrotrahitur & mandato comparatur, hodie vivificamus & roboramus omnes actus quoscunque fecit à tempore ipsius electionis; dum tamen sint aliàs justi & legitimi; quia injusta nec inlegitima non approbaremus nec approbare deberemus. Et hoc facimus, quia de eo bona præsumimus in futurum, quia, sicut dicitur in Thobia, boni patris filius est. Vnde & alibi: Sæpe solet filius similis esse patri. Pater verò

suus

suus Radulphus, catholicus, fidelis, & devotus isti Ecclesiæ, homo verax & veridicus. Unde vulgariter dicebatur in tota terra illa quando aliquis decipiebatur in promisso: Non habet veritatem dictum istius, sicut dictum Radulphi Comitis. Si autem vellet contrarium facere, non posset: quia nos non habemus alas nec manus ligatas, nec pedes compeditos, quin bene possimus eum reprimere & quemcunque alium Principem terrenum. Quidam enim Principes faciunt colligationes suas. Et audacter dicimus, quod si omnes Principes terreni essent hodie colligati contra nos & contra Ecclesiam istam, dum tamen nos haberemus veritatem, & staremus pro veritate, appretiaremus eos unam festucam. Et sine dubio si veritatem & justitiam non haberemus, bene timeremus. Sed aliàs omnes confunderemus, & veritas confunderet eos. Unde hodie de isto, quem hodie præficimus, dicimus quod dicit Petrus in epistola hujusmodi temporis: Servi, subditi estote Regi tanquam præcellenti. Iste est Rex præcellens super omnes Reges, & nullus est ab eo exemptus. Et ibidem: Deum timete, Regem honorificate, quia simul hic est Rex, ab omnibus tanquam præcellens timendus & honorificandus. Et bene subjunxit:

Re-

Regem honorificate quia ſimiliter hic eſt Rex ab omnibus tanquam præcellens timendus & honorificandus. Igitur faciat bene Rex. Quia ſi bene defendat & recuperet jura ſua & jura regni & Imperii, audacter dicimus quod nos defendemus plus jura ſua quam noſtra, & hoc contra quemcunque de mundo, & per nos firmabitur ſententia & non flectetur. Ipſe verò miſit huc procuratores ſuos, qui ſunt hic præſentes, cum plenario mandato jurandi in animam ſuam & faciendi & exhibendi nobis omnia quæ per ipſum ſunt facienda vel exhibenda, & volumus quod prædicta faciant ſicut eſt conſuetum. Talia Romæ detonare non dubitavit in ſuo Conſiſtorio Bonifacius. Obſervatu autem dignum eſt: adeo iniquum jam tum ſtatim viſum eſſe Papæ illud facinus, ut cum aliis populis tum præcipue Gallis omnibus ſummè diſplicuerit, Rex ipſe autem Philippus Pulcher injuriam ſibi factam acerrimè ultus ſit; imo Deus ipſe indignationem ſuam non diſſimulaverit, mœrore & turpi morte mox conficiens ſuperbiſſimum hominem, ut proverbium vulgi factus, *regnaverit quidem velut leo mortuus tamen ſit veluti canis.* Sed nec ſucceſſorum Bonifacii quisquam auſus fuit partes ejus defendere: ex adverſo vis veritatis

tis

tis Clemente V expressit *Cap. Meruit* & Clementinis inseri fecit *De Privileg.* Quamvis, fateor, iis verbis callidè temperaverit suum illud *Meruit*, ut Papalis Curiæ Hildebrandinis in Galliam aliaq; mundi regna prætensis juribus nihil detraxerit, sed illa potius reapse stabiliverit. Tota historia dignissima est quæ ab omnibus probè expendatur.

Pag. 73. l. 7. *Albertus.*) Exordium illius pacti apud Goldastum & alios integrum ita sonat, ut pateat, tabulas illas Alberti nomine fuisse conscriptas. *Albertus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, universis &c.*

Pag. 75. l. 4. *Caroli IV Cæsaris bulla.*) Non diffiteor à nonnullis creditum, quod ille Archicancellariatus Trevirensis respiciat supremum Germaniæ in Galliam competens jus. Verùm omni hæc suspicio caret veri etiam similitudine. Ideoq; ne ipsemet quidem Limnæus ausus est eam profiteri, ceu indicant vel illa quæ disputavit ad Capitulationes Cæsareas pag. 122. Ne alios nunc in testimonium nunc vocem viros eruditos Imperii rerum, earumq; candidos æstimatores.

AD CAPVT IX.

PAg. 78. l. 3. *ex Actis.*) Eadem Jacobus Sirmondus voluit conſtituere Capitularium Caroli Calvi Titulum LI. In oratione autem Joannis Papæ ad Epiſcopos quæ ibi habetur notari diligenter merentur etiam illa verba. *Et quia pridem Apoſtolicæ memoriæ deceſſori noſtro Papæ Nicolao idipſum jam inſpiratione cœleſti revelatum fuiſſe comperimus, hunc merito & nos approbavimus una cum anniſu & voto omnium fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum, atq; aliorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ miniſtrorum, Ampliq; ſenatus, totiusq; Romani populi gentisq; togatæ, & ſecundùm priſcam conſuetudinem ſolemniter ad Imperii Romani ſceptra proveximus, & auguſtali nomine decoravimus.* Quidnam Nicolao Papæ ſit inſpiratum nec non, nihil quidem ad rem hanc noſtram facit, ſed dignum notatu eſt, illam Caroli Calvi Regis electionem non à ſolo eſſe Papa factam ſed ab aliis quoq; & eos inter numeratos Senatum etiam ac Populum Romanum. Liquet porro ex Actis illis, voluiſſe Papam, ab aliorum quoq; Epiſcoporum, qui in Romana iſthac ſynodo erant congregati, conſenſu factam electionem quaſi confirmari.

Pag.

Pag.79.l.10. *Baronius.*) Eandem refert quoq; Sirmondus Titulo XLIIX Capitularium Caroli Calvi. Quoniam vero habet ſubſcripta nomina Epiſcoporum aliorumq;, ſimul hinc diſci poterit quodammodo, quinam tunc temporis Italici Regni Optimatum nominibus audierint.

Pag.82.l.2. *De Imperio.*) Annales Bertiniani ad annum 878 ut & Goldaſtus tomo 3 Conſtit. refert *Acta* Conventus Furonenſis inter Ludovicum Balbum & Ludovicum Germanici filium. Quorum *Capitulum II* ita ſonat: *De Regno verò quod Ludovicus Imperator Italiæ habuit, quia nec dum ex illo aliqua diviſio facta eſt, quicunq; modo illud tenet* (Carolomannus ſcilicet) *ita teneat, donec Domino volente ſimul convenientes cum communibus fidelibus noſtris, inveniamus & definiamus, quod ex hoc melius & juſtius fuerit.*

Pag.83.l.17. *Sigonius.*) Sigonii ipſa verba hæc ſunt: *Mortuo Calvo Carolomannus* (Bavariæ Rex) *extemplo Italiæ regnum inivit. An vero Italiam, cui imminebat adierit, an potius, ut Franci ſcribunt, in regnum ſuum Bavariæ falſo Caroli adverſus ſe contendentis nuncio exanimatus, receperit, parum compertum. Regnum quidem*

ipsum Italia per triennium tenuisse, in *maximo Francorum Germanorumq; Annalium silentio, vetera multa quæ in Lombardia leguntur diplomata fidem faciunt, quibus ipse Bavariæ atq; Italiæ Rex, sic enim se inscribit, per hos tres annos Ecclesiis populisq; beneficia confirmavit, ante à Carolo, Pio, Lothario & Ludovico Regibus condonata. Omnia verò diplomata in Bavaria data sunt.*

Pag. 84. l. 15. *Hadrianus.*) Baronius hæc silentio præterit, forte quod displicerent. Platina narrat primum decretum jam tum à Nicolao Papa cœpisse, sed mox irritum evanuisse.

Pag. 85. l. 17. *Cæsaream dignitatem.*) Baronius ad annum 896 illam Arnolphi coronationem tanquam vitio factam accusat: quia ita decretum fuerit in Synodo Romana sub Joanne IX: ac proinde *corrigendos esse chronographos*, jubet, qui Arnolpho tribuerint Cæsareum titulum. Sed in Actis Romanæ Synodi tale quid non reperitur. Et sane nihil adfert præter illa Baronius unde suo commento contra narrationes ipsius illius ævi scriptorum vel colorem veri potuerit facere. Nec tamen nego jampridem Arnolpho Italicos scriptores fuisse iniquos. Quæ res turbavit etiam Othonem Frisingensem *l. 6. cap. 13.*

Pag.

Pag. 86.l.10. *Conrado.*) Eckardus Junior *l. de Caſibus S. Galli* quem Tomo I Rerum Alemannicarum inſeruit Melchior Goldaſtus, narrat. pag. 19 à Conrado Rege miſſum eſſe in Italiam Hattonem Archiepiſcopum Moguntinum, hunc verò perquam ditatum rediiſſe.

Pag. 93.l. 1. *Jure belli.*) In eam ſententiam ſcripſit quoq; Palmerius fol. 114 : *Poſt Arnulphum Imperium confunditur, dolentibus Romanis & univerſis Italiæ populis, quod in Germaniam translatum eſſet; quamobrem nec à Romano Pontifice inſigniti ſunt transAlpini Imperatores uſq; ad Othonem I. Pertæſi verò Langobardorum tyrannidis Othonem evocarunt Itali, ut Berengarium regno depelleret. Quod poſtquam feciſſet, JVRE BELLI Italiæ Rex, ut Carolus M. renunciatus eſt.*

AD CAPVT X.

PAg. 104. l. 8. *Meretricium Imperium.*) Rectè & ingenuè Baronius monſtroſum, qui iſthac fuit ætate, Romanæ Eccleſiæ ſtatum Meretricio Imperio Vrbis adſcripſit. Thomas contra Stapletonus aliiq; nonnulli culpam omnem Germani-

 mani-

manicis Imperatoribus tribuentes & inſcitiam ſuam prodiderunt & ſummam iniquitatem. *Intruſi autem ſunt*, ait idem Baronius, ad ann. 897. n. 4, *in cathedram Petri, ſolium Chriſti, homines monſtruoſi, vita turpiſſimi, moribus putidiſſimi, usquequaq; fœdiſſimi.* Ejusdem Baronii juſtiſſima querela hiſce verbis prodita eſt ad annum 912. §8: *Quæ tunc facies ſanctæ Romanæ Eccleſiæ! quam fœdiſſima! quum Romæ dominarentur potentiſſimæ æque ac ſordidiſſimæ meretrices: quarum arbitrio, mutarentur Sedes, darentur Epiſcopi: & quod dictu horrendum ac nefandum eſt, intruderentur in Sedem Petri earum amaſii Pſeudopontifices.*

Pag. 111. l. 5. *Seorſim cenſus.*) *Ducatus* itaq; vocabulo ſignificata propriè fuit Juris dicundi Ducalis poteſtas: quæ tunc ſeorſim fuit obnoxia oneribus ac tributis Regiis.

Pag. 111. l. 24. *Eugenii Pontificis.*) Supereſt quidem hodieq; Conſtitutio, quam auctoritate ſui patris Ludovici Pii Imperatoris anno 824 Eugenio ſedente Lotharius decrevit (utpote quam ex Collectione Canonum Cardinalis Deusdedit hactenus inedita poſt alios publicare inſtituit L. Holſtenius, ſed cum morte præventus non potuiſſet

iſſet

iſſet abſolutam luci tradere, Franciſcus Barberinus Cardinalis edi curavit Romæ anno 1662 forma octava) & caput ejus Conſtitutionis tertium agit de Electione Pontificum, nihil tamen ibi reperire eſt ejus cujus hic fit mentio. Quod ſi tamen Donatio iſt hæc Ottonis ullam meretur fidem, etiam hoc omnino fuerit admittendum. Vt non poterit quoq; ullo prætextu negari,, ſimili pacto Eugenii ſucceſſores fuiſſe obſtrictos,

Pag. 112. l. 15. *Leo ſponte.*) Pro *ſponte* videtur legendum *Carolo*, aut certe hæc vox addenda. Si ſane Leo Papa fuerit intelligendus is qui id nominis fuit tertius; quod perquam eſt veriſimile.

Pag. 112. l. 23. *quaſi remiſiſſe.*) Verba Tabularum Ottonis indicant, laudatum eſſe factum Leonis Papæ & in exemplum propoſitum. Vt proinde Baronianum illud merè commentitium aliquid ſit.

Pag. 113. l. 10. *Leonem III.*) Probavimus porrò liquidiſſime editione iterata Epiſtolarum Leonis III, *pag. 106*, in Gratiani codicibus perperam tribui Leoni quarto, quæ ſunt Tertii. Et vero traxerunt illa mea in conſenſum ipſummet Stephanum Baluzium Gallorum doctiſſimum & æquo judicio inſtructiſſimum in ipſo incomparabili pro-

œmio

œmio ad Capitularia Regum Francorum; quo vere Regio dono meam quoq; bibliothecam exornavit Vir longe clarissimus.

Pag. 113. l. 20. *est pollicitus.*) Liquet idipsum haud obscure ex Epistolis illius Papæ ad Carolum Magnum nostrâ primùm cura ex membranis publicatis. Imo etiam ex illis quæ Leoni IV perperam attribuit Gratianus. *Nos si incompetenter aliquid egimus, & subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio.*

Pag. 113.l.22. *Et hoc omnimodis.*) Totidem verbis hæc habentur in illa constitutione Lotharii cujus paulo ante meminimus statim capitulo primo. Vt & in ea quam ex Anselmo Lucense petitam edere voluit Holstenius.

Pag. 114.l.11. *Huic enim.*) Ipsamet verba Constitutionis Lotharianæ ita sese habent Capite IV. *Volumus etiam, ut Missi constituantur à domno Apostolico & à Nobis, qui annuatim Nobis denuncient, qualiter singuli Duces & Judices justitiam populo faciant, & quomodo Nostra constitutio servetur. Decernimus itaq;, ut primùm omnes clamores, qui negligentia Ducum aut Judicum fuerint inventi, ad notitiam domni Aposto-*

posto-

postolici referantur, ut statim aut ipse per suos nuncios eosdem emendari faciat, aut Nobis notificet, ut legatione à Nobis directâ emendentur. Non abs re fuerit hoc loco expendere etiam Cap. IIX. *Placuit etiam Nobis, ut cuncti Duces & Judices sive alii qui cæteris præesse debent, in Nostram præsentiam, dum Romæ sumus, conveniant. Volumus enim & numerum & nomina scire, & singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.*

Pag. 117. l. 18. *Baronius.*) Concitarunt hanc Baronii bilem Acta Synodi Remensis à Gerberto conscripta: quæ Conciliorum quoq; editores usq; adeo habuerunt hactenus invisa ut ab eorum editione abstinuerint. Exstant vero illa mss. in antiquissimo codice membranaceo Bibliothecæ nostræ Juliæ; unde σὺν θεῷ justa integritate, quæ & in Flaciana & in Bongarsiana editione deficit, propediem in lucem publicam denuò prodibunt.

Pag. 120. l. 14. *Mathildis, Comitissæ.*) Diligenter multa ad res istas Mathildicas pertinentia congessit Meibomius in doctissima *pro Ottone IV Imperatore Apologiæ* pag. 49. & sequentibus aliquot: quæ proinde legere haud carebit pretio operæ.

Pag. 120. l. 5. *muneris illius limites.*) Carolus Sigonius *l. 8 de' Regno Italiæ* de Bonifacio Mathildis patre scribit, habuisse tantas opes, ut omnium principum Italicorum fuerit illa tempestate clarissimus; egisse Canussii Comitem, Parmæ Mantuæ & Ferrariæ Marchionem, Ducem Tusciæ. Alii Marchionis titulo affirmant illum tenuisse, Lucam Parmam Regio-Lepidum Mantuam & Ferrariam. Quæ si vera sunt, haud dubie isthæc omnia & Mathildis filia, tanquam unica hæres, possedit, & hæc porro voluit conferre Romanæ Ecclesiæ. Gotfridus monachus S. Pantaleonis non dubitavit scribere, *Mathildam, decrepitam circumventam à Papa Marchiam Anconitanam Imperium attinentem, quam regebat, magistratibus & Potestatibus inscius & inconsultis, B. Petro tradidisse.* Aventini l. 6. verba sunt: *De hac Donatione Æneas Sylvius, qui est Pius Pontifex, tradit, Mathildam Romano Episcopo testamento legasse id quod Patrimonium Petri vocant. Tumq; vox cœlitus audita (uti à gravissimis accepi Theologis) venenum melle litum fœminam propinasse Christianis.*

Pag. 121. l. 21. *Tengnagelius.*) Eandem exhibuit Anbertus Miræus Donat. Belg. l. 1. cap. 36. atq; illius

illius exemplo in doctiſſimo libro de Dote Eccleſiæ cap.5 decus illud Juridici Ordinis,& præcipue Eccleſiaſtici omnis vetuſti Juris longe hodie & ac ſine omni exemplo peritiſſimus Caſpar Zieglerus: cujus liberali donatione & hic & alii libri optimi mihi feliciter obtigerunt. Haud injuria verò ipſamet ἀκρίβεια Tabulæ Mathildicæ falſimoniæ ſuſpicionem præter alia commovit.

Pag. 124. l. 17. *Philippus.*) Imo vero etiam Papa voluit,ut Philippus jam electus Imperator,bona iſthæc concederet Papæ ex fratre Richardo, quem Comitem creaverat, nepoti quaſi in dotem filiæ, quam ſimul voluit illi ſuo nepoti collocari in matrimonium. Memorat inſolentem illum Papæ conatum Vrſpergenſis in Chronico, & juſta prolixitate perſequitur Huldricus Mutius.

Pag. 125. l. 15. *Matthæus Pariſius.*) Dignitas rei meretur ut ipſa viri verba hoc loco cum juſta cura expendantur. Sunt autem hæc. *Anno 1210, Circa dies iſtos Otto Romanor. Imp. memor juramenti, quod fecerat, cum à Papâ ad Imperium fuerat ſublimatus (quod videlicet dignitates Imperii conſervaret & jura diſperſa pro poſſibilitate ſuâ revocaret) fecit per ſacramentum legalium hominum Imperii Dominica caſtella ſua,*

& alia jura ad dignitatem Imperialem spectantia, perquiri, & quæcunq; per recognitionem ad jus Imperii spectare didicerat, in usus suos convertere laborabat. Hac autem de caussâ orta est dissensio gravissima inter Dominum Papam & Imperatorem memoratum, eò, quod tempore, quo vacabat Imperium, idem Papa castella plurima cum rebus aliis occupaverat, quæ ad dignitatem Imperii pertinebant. Vnde Imperator, quia quod suum erat revocare studuit, ipsum Papam sine merito ad odium provocavit. Fridericum quoq; Regem Siciliæ idem Imperator graviter persecutus est, qui similiter, dum vacavit Imperium, quasdam munitiones occupatas detinuit. Vnde Papa memoratus ipsum Imperatorem per nuncios & litteras frequenter monere studuit, ut tam à persecutione Romanæ ecclesiæ, quàm à regni Siciliæ ac tutelæ commissæ Sedi Apostolicæ exhereditatione cessaret. Imperator autem nunciis Domini Papæ tale perhibetur dedisse responsum. Si inquit, summus Pontifex Imperii jura injuste possidere desiderat, à sacramento, quod tempore consecrationis meæ ad dignitatem Imperialem me jurare compulit, absolvat, quod, videlicet, dispersa Imperii jura revocarem. Deniq; cum

Pa-

Papa ipſum Imperatorem à præſtito juramento, quod omnes Imperatores in ſuâ conſecratione, inſpectis Sacroſanctis Evangeliis, jurare tenentur, abſolvere noluit, & Imperator econtra Imperii jura, quæ jam parte maximâ in manu potenti revocaverat, reddere contempſit, idem Papa in ipſum Imperatorem ſententiam excommunicationis tulit, atq; univerſos, tam Alemanniæ, quàm Imperii Romani Magnates, ab ejus fidelitate abſolvit, & hinc odium Regis & iram efficaciter obduravit.

Pag. 129. l. 2. *in ipſos Pontifices.*) Eâ quam res tanta exigit accuratione hoc docere officium eſt libri ſingularis *De Germanorum Imperio Romano.* Nunc ſatis ſit, lectori commendaſſe hiſtoriam, ſaltim Henrici III qui tres Papas ſolio ſuo dejecit, imo et eorum quæ inter Henricum quartum atq; ipſummet Hildebrandum ſive Gregorium id nominis ſeptimum acta ſunt.

AD CAPVT XI.

PAg. 131. l. 4. *Venetam urbem ipſam.*) Diſtinguendus accurate eſt ſtatus ipſius Vrbis a conditione eorum quæ in Continente urbis in-

colæ poſſederunt. Et verò non niſi Vrbis libertatem hic aſſero: Veneticarum in continente poſſeſſionum, fateor, non eandem ſemper quæ Vrbis fuiſſe conditionem. Ipſiusmet vero etiam Vrbis libertatem illam perpetuam dubiam reddere conatus eſt Autor Italice ſcripti libri cui titulus: *Squitinio della liberta Veneta*. Eſt ſane ſcriptum illud multa refertum eruditione, ac proinde per conjecturas doctis tantùm auctoribus attributum, & quidem conſtantiſſima fama Marco Velſero. Sed cujuſnam calamo debeatur, parum intereſt veritatis. Forte tamen non temere quis parem in modum a doctrina laudaverit Graswinkelij & aliorum ſcripta contraria.

Pag.132.l.16.*ſe dedidit.*) Quin imo *circa hæc tempora Venetias Roma venit Imperator Cæſar Otho, civitatemq; munere liberavit aurei pallii, quod Imperatoribus Romanis in annos ſingulos ex pacto præſtabat*: ut quidem refert Leander Albertus, in Diatribe de incrementis dominij Veneti.

Pag. 140. l. 19. *Corſicam.*) Obſervandum, neq; Corſicam neq; Sardiniam in poſſeſſionem Carolovingicæ familiæ, ut nec forte ſequentium Imperatorum Germanicorum perveniſſe. Vnde equidem

dem non dubito asserere, Imperio Germanico nihil amplius in istas insulas juris competere. Corsicam nihilominus à Carolo Magno Papis fuisse donatam, liquet etiam ex Epistola VI Leonis Papæ III ad Carolum Magnum mea cura ex membranis eruta. Hæc etenim verba ibi legere est. *De autem insula Corsica, unde & in scriptis & per Missos vestros nobis emisistis, in vestrum arbitrium & dispositum committimus, atq; in ore posuimus Helmengaudi Comitis, ut vestra donatio semper firma & stabilis permaneat, & ab insidiis inimicorum tuta persistat per intercessionem Sanctæ Dei Genitricis & beatorum principum Apostolorum Petri ac Pauli & vestrum fortissimum brachium, & Domino miserante, tempore apto, per fidelem Missum nostrum omni utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ vestræ Imperiali potentiæ liquidius innotescimus.* Hæc ibi Leo III Papa. Nonnulli jam Pipino acceptam referunt donatam Corsicam Leonis Ostiensis fide, sed perquam incerta, præsertim quia modo audivimus soli Carolo propter donum illud actas gratias. Quicquid tamen hujus malis, nihil hunc locum juvat.

Pag. 147. l. 11. *Vrbes.*) Platina in vita Lucii Pa-

pæ ita ſcribit: *Ab Imperatore Friderico, qui cum in pace vixit, obtinuit, ne Etruſci alia quam moneta Lucenſi uterentur: quemadmodum Longobardi ſolam Papienſem admitterent, ſignatam Imperatoria nota.* Saltim itaq; Lucius Papa juribus Imperatoriis ſeſe hoc ipſo aliis æquiorem præbuit. Obiter hic duco monendum, lectu digna eſſe quæ idem Platina in vita Gregorii IX diſſerit de bellis à Friderico II, Imperatore per Italiam geſtis, atq; enatis iſthac tempeſtate factioſis nominibus Guelphorum & Gibellinorum.

Pag. 148. l. 1. *Inpoſterum.*) Sic ſatis ſubmiſſe proximis poſt Fridericum I Imperatorem annis Italos ſeſe geſſiſſe, liquet non tantum ex Henrici VI ſed etiam Ottonis IV hiſtoria. Vt enim nunc non attingam ea quæ Henrico VI Imperante contigerunt, cum Otto IV ante Italicam expeditionem Conventum Imperii Ordinum Auguſtæ Vindelicorum inſtitueret, ad Comitia illa ſtatim venerunt Italicorum civitatum legati, *offerentes ſingularum inſignia cum clavibus aureis, & multis aliis donis, ac per hoc ſubjectionem profitentes*: ut loquitur Otto de S. Blaſio cap. 50. Jam trans Alpes & in Italiam progreſſum Ottonem nullo non debitæ ſubjectionis officio ipſimet Italici Princi-

pes

pes pariter & Vrbes. Id quod liquidum esse unicuiq; potest saltim ex indubitatæ sidej testimoniis illis, quæ præclara opera in unum congessit decus quondam hujus Academiæ Juliæ Henricus Meibomius, illa quæ jam tum à nobis est laudata *Apologia pro Ottone IV Imperatore* pag. 41. & quatuor sequentibus. Nec vero isthæc doctissima scrinia hic compilare fas fuerit.

Pag 148. l. 6. *Apuliam & Calabriam.*) Ottone II Imperante hunc fuisse Calabriæ miserum statum, & infelice prælio Imperatorem à Græcorum exercitu victum vix aufugere potuisse, vel illa nos doceant, quæ narrat Ditmarus l. 2. pene sub finem. Ex quo simul discere est, Pacis redimendæ caussa quotannis certam auri summam Græcis fuisse solutam, & Constantinopolitanis rebus tunc præfuisse Basilium Imperatorem.

Pag. 153. l. 11. *Omnia.*) Memoratu tamen dignum est, quod de Lothario Imperatore scribit Otto Frisingensis l. 7 cap. 19. *Augustus tam fortia in Apulia & Campania gessit, ut nullus ex Francorum Regibus a Carolo Magno usq; ad id temporis tanta ibi fecisse inveniatur. Deniq; non solum civitates, utpote Capuam, Troiam, Salernum, Berlettum, Barram cepit, verum etiam*

munitiſſima caſtra & arces inacceſſibiles expugnavit cap.20, *Rogerio hoſte judicato, Reginaldo viro forti ac nobili Ducatus Apuliæ, relicta ſibi parte militum, traditur: & ſic Princeps victor de reditu diſponit. Verum ſilentio præterire nolumus, quod in dando Ducatu inter ipſum & Romanum Pontificem pene controverſia orta fuit, utriq; Ducatum ſui fore juris affirmante. Quæ lis conſilio tandem hoc modo deciſa dicitur, ut in dando Duci vexillo uterque manum adhiberet.* Hæc Otto. Quæ docent, Lotharium Cæſarem & vindicaſſe illas terras, & haud exiſtimaſſe illarum jus non amplius Imperii ſed unius Romani eſſe Pontificis. Verùm Lothario in Germaniam reverſo Rogerius Rex omnia recuperavit. Et Friderici I Cæſaris conatus intra minas ſubſtiterunt, flexo ipſomet ad ultimum in Normanni favorem.

Pag. 155. l. 5. *hactenus.*) An qui Lotharium Imperatorem ſunt ſecuti Imperatores ad fatalia tempora Interregni, juſtâ diligentia Imperii juribus in Neapolitanas iſtas terras conſervandis ſtuduerint, fortaſſis licuerit dubitare. Dixerit ſane quis haud injuria: Henricum ſextum & Fridericum ſecundum ſuis privatim rebus potius

ſtu-

ſtuduiſſe. Vereor igitur, ne jam tum Imperii jura ibi ſenſim exſpiraverint.

AD Caput XII.

PAg. 160. l. 19. *Vienna.*) Aventinus l. 4 recte notat, Viennam Imperatori Carolo Craſſo *Wormatiam ad conventus agendos profecto, deditionem facere coactam*, Boſonis *uxore & filia captis.* Idem de Hirmintrude vidua refert: *Mortuo Boſone conjuge, Ludovicum filium impuberem ad Auguſtum deduxit, eidemq; illum commendavit. Qui liberis carens, puerum ſobolem juſtam Auguſtorum, nepotem Ludovici II Cæſaris Auguſti, patruelis ſui, cognatum ſuum, apud Kirchæum pagum Rheni adoptavit, hæredem atq; ſucceſſorem deſignavit.*

Pag. 161. l. 5. *Arnolpho.*) Aventinus refert, Arnolphum Ludovico Boſonis filio Galliam Narbonenſem in fidem conceſſiſſe, *Hugone è Francia oriundo Arelatenſi præfecturæ præfecto.* Fuit autem ille Hugo, Lotharii Comitis Provinciæ filius, Lotharii regis Lotharingiæ nepos, Imperatoris Lotharii pronepos, Ludovici Pii abnepos, Caroli Magni adnepos: ut recte ſcribit Onuphrius. Ludovicum autem Boſonis illum

filium pòſt ad Italiæ regnum ab Italicis nonnullis evocatum Berengarius Veronæ cepit & oculis privavit: quod memorat Luitprandus. Hugo etiam infelici ambitione Italicum regnum petens ſua Arelatenſia perdidit. De illo egimus pag. 167 & duabuſs ſequentibus hujus capitis XII.

Pag. 161. l. 12. *Burgundia.*) Aventinus teſtatur: Viduam Boſonis in Conventu Wormatienſe ab Arnulpho Cæſare pro filio ſuo *Burgundiæ quasdam urbes impetraſſe.* Regino ad annum 849: *Soluto conventu Wormacienſi, cum Loraham idem Princeps Arnolphus veniſſet, Ludovico filio Boſonis, matre Hirmintrude interveniente, quasdam civitates cum adjacentibus pagis, quas Rudolphus (qui ſeſe in Burgundia Regem extulerat) tenebat, dedit. Sed & hoc ei in vacuum ceſſit, quia eas nullo modo de poteſtate Rudolphi eripere potuit.*

Pag. 164. l. 8. *Alemannico exercitu.*) Aventinus l. 4 pag. 178 narrat, quod à Burchardo Sueviæ Duce, ſuo pòſt ſocero, juſſu Arnolphi bello preſſus Rudolphus *ſuppliciter colloquium petierit, atq; ad Imperatorem Reginoburgum perrexerit, Burgundiaq; ab eo in tutelam accepta, ſacramentum dixe-*

dixerit, ſe Arnolpho regibusq; Francorum perpetuo fidem ſervaturum.

Pag.166.l.18.*lanceam.*) Præter Sigebertum etiam Luitprandus l.4 cap. 12 narrat quædam de illâ lanceâ, quam Henricus Auceps Rudolpho Burgundo Regi extorſerit,& reddiderit filio Ottoni Magno in hæreditatem. Otto quoq; Friſingenſis l.6 cap. 18. lanceæ illam impetrationem Henrico Regi acceptam refert. Quum Luitprandus verò Ottonis Magni cœvus fuerit, & quamvis fortè gente Hiſpanus,in Italia tamen Ticinenſem egerit Epiſcopum,rerumq; Ottonisfuerit peritiſſimus,facile apparet,perperam Gotfridum Viterbienſem,ut alia complura,ita & hoc referre,quaſi lanceam Otto Magnus demum ſit conſequutus ab Hugone Burgundo. Fortaſſe verò plures tunc ſacræ habitæ lanceæ: una nempe quæ credita ſit fuiſſe quondam Conſtantini Magni, altera quæ fuerit tributa S. Mauritio. Et verò Luitprandus diſerte illam Henrico Aucupi ceſſam Conſtantini fuiſſe ſcribit: Gotfridus Ottoni Magno Mauritii lanceam refert oblatam. Etenim ſuo more canit Regem Hugonem cucullum mônaſticum cum indueret Ottoni Magno hoc modo ſua reliquiſſe:

Trado tibi regnum: cunctos depono decores,
A modo nostra tibi SACRA LANCEA præstet honores:
Sola mihi monacho vita colenda foret.
Do tibi Vivarium: Lugduni sede sedebis.
Hæc duo cis Rhodanum, me traduce, castra tenebis.
Rex ibi Francigenis prædia nulla petit.
LANCEA MAVRITII, mea quam tibi dextera tradit,
Est caput illorum quæ nunc mea regna notavi.
Nunc caput Imperii LANCEA SANCTA dabit,
Qua Dubius, Sauna, Rhodanus fluit, estq; Vienna,
Cis mare Thyrrenum fuerant Bosonica regna:
Huic simul Allobroges & Morienna favent.

Theodoricus tamen de Niem scriptor longe recentior libro cui titulum fecit *Nemorii Vnionis tr.6.c.31* hanc etiam nostram conjecturam reddit dubiam ita loquens: *Præterea Bosonem regem Arelatensem pro tunc, qui impias manus in Episcopum Arelatensem in nocte sacratissima Nativitatis Christi injicere non verebatur, idem Otto magnus cepit in Gallia, & captivatum totondit, & monachum fieri fecit: à quo etiam SACRAM LANCEAM, quæ Magni Constan-*

ſtantini fuiſſe legitur, acquiſivit: quæ extunc unum de Imperialibus inſigniis usq; ad hæc tempora fuit. Non ſane niſi una lancea ſacra Norimbergæ oſtenditur inter Imperii inſignia: cujus autem fidei illa ſit & quandonam aut quomodo comparata, ad hoc de Finibus argumentum non attinet diſquirere.

Pag. 172. l. 14. *De priore.*) Liber ille agit de iis quæ geſta ſunt anno 1018: ut liquet ex his quæ continentur ipſo ejus exordio.

Pag. 172. l. 22. *Dithmarus.*) Quæ ille *l. cit.* narrat de ſtatu Burgundiæ, qualis tunc temporis fuit, & quemadmodum Procerum Regni malis artibus promiſſa Rudolphi Regis fuerint irrita reddita, merentur cum juſta cura expendi. Dithmari alia inter hæc ſunt verba. *Sed Burgundionum Rex mollis & effœminatus bona quæ nepoti ſuimet promiſit, impedire eorum inſtinctu voluit, quibus relaxato juſtitiæ freno, velut infelici vitulo, per latum liberos currere placuit. Cum vero iterum cæptis perſiſtere ſtuduit, eorum conflatione & peſſima reluctatione non potuit. Nullus enim, ut audio, eſt qui ſic præſit regno. Nomen tantum & coronam habet etc.*

Pag.

pag. 175. l. 17. *Non parum.*) Idem jam pridem memoraverat Gervasius Tilberiensis in libro quem *Otiorum Imperialium* titulo inscripsit. Etsi enim in codice Helmstadiensi tantùm pauca reperiantur Capitula, quia mutilus est & imperfectus, in meliore tamen *Decis. 2. c. 12* hæc verba occurrunt. *Ecce enim audacter loquor, fidelitate qua tibi teneor* (affatur autem Gervasius Ottonem IV Imperatorem ab illo Marschallus Regni Arelatensis constitutus) *denuncio, quod inter omnes Imperii tui regiones non est angulus Imperio tuo commodior; sic omnibus confinibus tuis, regi Francorum, regibus Hispanorum, Barbaris gentilium, Terra Sancta, Italia tua regno, Siciliaq; Domino, conterminalibus tuis, terribilis aut oportunius ac necessarius, quam regnum est Arelatense. Quod ut in antiquissimis Imperii registris continetur, Bisuntina, Tarentasiensi Lugdunensi pro capite suo antiquissimo, Viennensi, Arelatensi, Ebrodunensi provinciis circumcluditur, quasi nodus retinaculi: commonitoriam faciens sententiam, sua strenuitate, accessusq; facultate regno Francorum maritimo aditusq; facili, terra Hispanorum, ac Gentilium Africanorum, levi ac brevi Alpium Cottiarum transitu,*

tu, in ultimo Lombardorum regno Januensibus Pisanis ac Siculis, aliisq; tuo Imperio subjectis, adjutorium ex tua voluntate ferre potes, aut ex contrario tuo motu nocumentum. Hactenus Gervasius.

Pag. 177. l. 7. *Germanici pervenerint.*) Willhelmus Paradinus plenius exsequitur regni Burgundici membra hisce verbis. *Ditionem Burgundionum exornarunt (ut hodie vocant) Ducatus Comitatusq; Allobrogum Sabaudia, Octodurensium, Astensium (nam Alpes quoq; supergressos, ne ipsa quidem Italia temperantes; scriptores commemorant) Aurasionensis, Pedemontensis, Landgraviatus Alsatia, Comitatus Sequaniens (qui est hodie penes Caesarem) Palatinatus Ferratensis, (quem jam aliò divulsum, per aliquot annos patrum memoria Carolus Dux* Burgundiæ, *à Sigismundo Austria Archistratego,* sive Archiduce, *Caesaris Friderici fratre, publico commercio redemit) Montis Bericardi, Quadrelensis, Nivernensis, Matisconensis, Cabilonensis (qui à rege Ludovico Juniore regis Crassi filio legitur translatus in potestatem Ducis Burgundia) Antissiodorensis, Turnodorensis, Suniacensis, Forestensis, Valentinensis, Avenionensis: aliaq; ditiones per-*

multæ: cujuſmodi ſunt Sebuſianorum, Salinenſium, Nuceriorum, Vindeliorum, Foſſinorum. Sunt qui adjiciant juga Helvetiorum, & quicquid fuit in amplexu Maximæ Sequanorum. Hæc Paradinus. Quæ tamen omni ex parte neutiquam mihi probantur: etſi nec juſtum eorum examen nunc inſtituere ſit pretium operæ.

AD CAPUT XIII

PAg. 180. l. 5. *enarrare.*) Ex re tamen erit, ut hujus argumenti curioſus ſcrutator ſaltim expendat quæ Glaber Rodulphus ſcriptor Gallus σύγχρονος refert l. 5 cap. 5 & 4. Huc illa adferre, ſupervacuum fuerit.

Pag. 89. l. 22. *agnitum fuiſſe.*) Quaſi in ſuperpondii tamen duntaxat vicem, ſubjungam hoc loco nonnulla quæ Petrus de Marca incomparabili peritia Eccleſiaſtici regiminis, præſertim quale illud fuit ſequiore ævo, longè clariſſimus, tradidit *Diſſertatione de Primatibus*, cujus editionem orbis debet ut complura alia doctiſſimo Baluzio §. 121, ubi agit de Primatu Lugdunenſe. *Attamen* inquit, *aliqui hoc ſibi perſuadent ex epiſtola Philippi Auguſti Regis, qui ad Innocentium III ſcribens his verbis utitur: Sola Bituricenſis Eccleſia*

in

in toto regno nostro primatiæ obtinet dignitatem. Alia est mens Regis. Quæ ut aperiatur, observandum est: illis temporibus, scilicet anno millesimo ducentesimo undecimo, Lugdunensem civitatem Imperii jura coluisse, licet ager Lugdunensis cis Ararim regno Galliarum accenseretur. Quod ex antiqua divisione, inita inter filios Ludovici Pii, Rhodano Arari Mosæ parte & Scaldi terminabatur. Excitato deinde Burgundiæ regno, Lugduni solida civitas illi tributa est, & inter proceres regni, quod postea Arelatense dictum est, Archiepiscopus locum obtinuit; ut patet ex Bosonis & Ludovici ejus filii inaugurationibus, aliisque publicis actis. Vnde Henricus III Imperator Adelricum Lugdunensi Ecclesiæ Archiepiscopum præfecit anno MXL ex Glabro libro V cap. IV. Fridericus primus collatam à decessoribus suis, post adjunctum Imperio Arelatense regnum, donationem jurium regalium, tam in urbe quàm ejus agro trans Ararim, confirmavit anno MCLVII. jussitque ut Heraclius Archiepiscopus Lugdunensis Exarchus & summus princeps palatii Burgundiæ nuncuparetur. Concessit ergo Heraclio, ut edicti verbis utar, totum corpus civitatis Lugdunensis & omnia jura re-

galia per omnem archiepiſcopatum citra Ararim (loquitur ratione habita loci ubi tunc conſiſtebat) in omnibus rebus quæ in Lugdunenſi epiſcopatu ad Imperium pertinent. Guido comes Lugdunenſis & Forenſis ægrè tulit hanc donationem, belloque illato Archiepiſcopum Lugduno expulit, & ad Carthuſiam portarum aufugere coëgit, ut notat quidam ſcriptor illius ætatis apud Surium. Item *Civitas verò Lugdunenſis paulatim ad jus regni rediit, tuitione beati Ludovici Regis à civibus adverſus Archiepiſcopum interpellata; qui motus exortos arbitrio ſuo compeſcuit anno milleſimo ducentiſſimo ſexageſimo nono. Eadem cura exercuit Philippum III ejus filium; quæ derivata eſt in Philippum IV, qui tuitionem in dominium apertè vertit, non invita civitate, quæ opem ejus adverſus Archiepiſcopum provocatione facta imploravit anno milleſimo ducentiſſimo nonageſimo.*

Ejusdem de *Primatibus* libri §. 123 Marca ſic loquitur de Viennenſi Primatu, quod nonnihil faciat ad noſtrum argumentum. *Ex Odilone in vita Adelandis Vienna dicitur SEDES REGNI BVRGVNDIÆ, ejusq; Archiepiſcopus Comes & Cancellarius regni. Comitatum Viennen-*

ennen-

ennenſem Archiepiſcopis donavit Rodulphus III rex Burgundiæ anno 1023, eisdemq; Fridericus contulit anno 1157, ut eſſent in regno Burgundiæ SACRI PALATII ARCHICANCELLARII.

Pag. 190 l. 2 *Prius illud.*) Habet tamen & Paradinus Hiſtoriæ Lugdunenſis pag. 57. Eſt autem & ille ſcriptor recens. Cœterum de Henrico VI diſertis verbis ſcribit Gervaſius *l. Otior. Imperialium* pene σύγχρονος, quod Fridericus I Imperator *peregrinationis iter* in Terram ſanctam *arrepturus, filium primogenitum Henricum prius in regem Teutonicorum, Arelatenſium, & Lombardorum creaverit.*

Pag. 190 l. 12 *In bibliotheca.*) Codex Academicus perquam mutilus eſt. Ideoq; & Vir optimus I. Maderus potuit publicare typis Otiorum illorum nomine tantùm pauca operis capitula.

Pag. 190 l. 15. *Cancellarius.* Laudatus à nobis paulo ante Maderus in Præfatione ad Lectorem quædam ex Gervaſiani operis neſcio quo codice attulit ad noſtrum hunc locum pertinentia. Partem eorum jam ſupra produximus, nunc ſubjungemus nonnulla alia, petita ex Capitulo de Inſulis mediterranei maris. Igitur cum dixiſſet: *juxta fluenta Rhodani vigere flatus, & homines generari ventoſos inanes inconſtantes & in promiſ-*

ſis ſuis maxime mentientes; quod qualis ſit materia, tale ſit materiatum, qualis aër talis in humano corpore ſit complexio. Subjungit ſtatim illa, unde liqueat, tunc temporis exiguam fuiſſe Imperatoris illius Ottonis IV in regnò Burgundiæ auctoritatem, nec juſtam curam in illo adminiſtrando fuiſſe adhibitam, ac proinde populum laſciviſſe. Quod Gervaſius cupiit emendatum. *Vnde &*, ait, *Princeps ſacratiſſime ac Domine, ſatius eſſet muniri Imperium indiviſione terrarum, quàm ſic ſine correptione à ſua iniquitate corrumpi, propter tuæ defectum juſtitiæ.* Cum addidiſſet porro nonnulla de utilitate illius regni jam ſuprà producta, tandem ita loquitur. *Eſt enim gens quam Provincialem appellamus, conſilio perſpicax, ope cum vult efficax, ſine armorum pondere bellicoſa, pro ſua paupertate in cibando larga, in nocendo inſidioſa: inter probra tacitura, cum locus aut tempus ſuppetit malefacta memorat: bello navali circumſpecta & victorioſa: caloris ſapiens ac frigoris famiſq; tolerans.* Pergit. *Si dominum continuum haberet, nulla gens citius frangeretur ad bonum: ac nulla, quia non eſt à quo regitur, paratior ad malum.* Item. *Terra præ omnibus fructuoſa, ſalibus, piſci-*

bus,

bus, lapidicinis, ſtagnis, lacubus, montibus, paludibus, fontibus, rivis, fluviis, nemoribus, ſilvis ac paſcuis delicioſa. Cum in omnibus abundet, in ſolo rectore ac Principe bono egena eſt. Tibi hoc eſt, Domine, quod imputetur, qui caput tenes Imperii; & cum membra extranea moderaris, quod non minus eſſet commodum, regere ac moderari contemnis. Hactenus Gervaſius, & quidem prudenter, ſed quaſi ſurdo cantaſſet cantilenam in turbatiſſimo totius Imperii ſtatu.

Pag. 191 l. 23 *Angliæ regna.*) Idem narrat in hiſtoria anni 1240, Provinciæ Comiti, à Friderico II Cæſare mandatum eſſe, arma adverſus Flandrum expedire: cumq; dicto non eſſet audiens, terras ejus à Toloſano Comite Imperatoris juſſu eſſe occupatas.

AD CAPVT XIV.

PAg. 194 l. 7. *Worm.*) Albertus Stadenſis verba Bremenſis ſua faciens regem appellat GVVRM, alibi GORMONEM. Fol. 102 ita loquitur: *Apud Danos eo tempore filius Hartevvich Guurm regnabat; crudeliſſimus inquam vermis & Chriſtianorum populis non mediocriter infeſtus. Ipſe enim Chriſtianitatem, quæ in*

Dania

Dania fuit, prorſus delere molitus, ſacerdotes Dei de finibus ſuis depulit: plurimos quoq; per tormenta necavit.

Pag. 194. l. 19. *Danica hiſtoria.*) Saxo *l. 9* poſt Frothonem ſextum recenſet filium *Gormonem*, quod ex Anglia eſſet oriundus dictum *Anglicum*: ſubjungit iterum *Haraldum & huic Gormonem*. Sed facile apparet, erraſſe hic Saxonem, & rerum illius temporis non ſatis fuiſſe peritum.

Pag. 195 l. 4 *tributarios.*) Quod Luitprandus & Witikindus memorant de Danis *ſubjectis* & *tributariis* factis, neutiquam ad Daniam univerſam pertinet ſed ſolam illam cherſoneſi partem quam armis devicit Cæſar Henricus. Non deſunt tamen qui & hoc negent. Quos inter fuiſſe etiam Andream Vellejum doctum virum, meritò mireris; ſi præſertim expendas illa, quibus conatus eſt fidem penè coævorum Henrico Cæſari ſcriptorum (quales utiq; fuerunt Luitprandus pariter & Witikindus) ac perpetuam famam convellere.

Pag. 195 l. 10 *mendum eſſe.*) Forte *Nuba* aliquis fuit tunc unus regulorum Danicorum, ut & *Cnuto* Dithmaro memoratus. Ipſemet Rex Gormo ſanè manſit Chriſtianorum hoſtis, nec filius ejus & pòſt ſucceſſor Haraldus tunc baptizatus fuit.

Diſerte

Diserte Abba Stadiensis, cum narrasset, post victoriam Henrici Aucupis, religionis Christianæ propagandæ caussa in Daniam profectum esse Vnnonem Archiepiscopum, ait: *Gurmium quidem pro ingenita flectere nequivit sævitia, filium autem ejus Haraldum ita fidelem Christo perfecit, ut Christianitatem, quam pater ejus semper odio habuit, ipse haberi publice permitteret, quamvis nondum baptismi sacramentum percepit.* Sigebertus Gemblacensis in historia anni 934 scribit: *Rex Henricus Danos, qui per piraticam Frisones incursabant, vincit & tributarios facit, & Cuipiam regem eorum baptizari fecit.* Videtur autem *Cuipia* rex esse illi qui Witekindo audit *Nuba.*

Pag. 195 l. 11 *limitaneo magistratu.*) Marchionem Slesvici fuisse constitutum ab Henrico refert quoq; Crantzius, non tantum in *Saxonia* sua sed etiam *Dania.* Posteriore volumine l. 4 ita scribit: *Rebus Germaniæ Rex præerat, qui tutandis regni finibus vigiles oculos circumferens, quum intelligeret Danos ex consuetudine majorum in Saxoniam excurrere, duxit in eos, limitibus etiam transcensis ultra Eidoram, exercitum, & expugnatam urbem tunc florentem Slesvicum fecit*

Saxonum coloniam, constituto ibi Marchione, qui rem administrans fines Imperii tutaretur. Perquam sane verisimile est, ortum hinc esse *Denemarcæ* nomen in Germania usitatum: cumq; primum pertineret ad solam illam Chersonesi Cimbricæ partem ab Henrico I & Ottone Magno subjugatam, pòst ad totum Daniæ regnum, etiam quod est ultra Balthicum sinum, usu populari fuisse translatum.

Pag. 199 l. 1. *Saxo Danus.*) De Saxone hoc id quod notavit magni & æqui judicii vir Gerardus Joannes Vossius *l. 2 de Historicis Latinis cap. 55* dignum est quod etiam hic legatur. *Saxo Grammaticus Sealandicus, Roschildensis in Dania Ecclesiæ præpositus, ad Andream, Daniæ episcopum, historiam scripsit libris XVI: in qua non pauca sunt fabulosa: ut haut cuncta recipi debeant* ἀβασανίστως. *Nec tamen tantus est fabulator, ac nonnullis videtur; qui eum nullo habent loco. Inter hos est Goropius Becanus: de quo minus est mirandum, cùm argumentum tractet, non* παράδοξον *modò, sed etiam* ἄδοξον. *Rejicit igitur, non quicquid debet, sed quicquid obest caussæ semel susceptæ. Quod ad Saxonis dictionem, tanta hujus est elegantia, ut ætatis illius captum planè ex-*

cedat:

cedat: imò cum antiquiorum & noſtri ſeculi pluri̇mis certet. Cæterum Saxonis hiſtoricam fidem ipſimet etiam optimi quiq; Danicarum rerum ſcriptores, interq; eos ipſe Huytfeldus magnus Daniæ regni Cancellarius, ſuſpectam orbi fecerunt, dum frequentiſſime ab ejus narrationibus abeunt, ſecuti potius ea quæ de Daniæ rebus ſcriptores Germanici prodiderunt. Vt nunc taceam Runorum poëticas fabulas, quibus Saxo hiſtoriam ſuam, elegantiſſimo ſtilo conſcriptam, deridendam omnibus paulo prudentioribus, non exteris duntaxat, ſed etiam domeſticis, propinavit.

Pag. 200 l. 7 *Luitprando.*) Vis veritatis expreſſit hujus rei confeſſionem optimis quibusq;, Danicæ gloriæ quamvis ſtudioſiſſimis, hiſtoricis. Vnum pro omnibus nunc in medium adducere Joannem Meurſium ſatis erit. Qui *lib. 3. Hiſt. Danicæ* de Gormone III rege agens alia inter hæc habet. *Quæ dum foris gerunt filii, ipſe arma in Saxones capit, odio religionis Chriſtianæ, quam exſtinctam cupiebat: &, auxiliis è Vandalia advocatis, miſere gentem univerſam ferro, ac flammâ, populatur. Quibus rebus Henrico Aucupi, Romanorum per id tempus Imperatori, nunci-*

atis, arma ille ocyus ſumit; & , ingenti quoque prælio fuſum, reprimit. tum, ingreſſus in Holſatiam, atque agrum Slevicenſem, ipſum mox Sleſvicum capit, diripitque; oppidum commerciis tunc florentiſſimum, ac vicino adeò loco novam civitatem ſtruit, & Coloniam appellat: ipſo nomine poſteris teſtatum cupiens, quod huc uſque Imperii fines extendiſſet. Tum imponit & præfectum, qui hunc limitem tueretur; atque, ut id melius poſſet, arcem ponit munitiſſimam in propinquo illic colle, qui à Sliâ circumluitur: & veſtigia etiamnum muri veteris ruinæ oſtenduntur. Inſuper & eam pacis legem ſtatuit, ut religionem Gormo Chriſtianam, cui eſſet infeſtiſſimus, toto ſuo regno admitteret. Hæc omnia habet unus Meurſius. Non poſſum non in ſignum potentiæ Cæſareæ & ſubmiſſionis Danicæ ſubjungere hoc loco illud quod memoravit Dithmarus *l. 1.* Quod nempe Henricus coëgerit Danos abſtinere impoſterum ab hominibus in victimas immolandis; qui mos hactenus, ut olim apud omnes gentes Germanicas, fuerat Daniæ ſacerrimus. Agens enim Dithmarus de Henrico Aucupe, cum dixiſſet: *Inſuper Normannos & Danos armis ſibi obtemperantes facit, & ab errore priſtino re-*

vocatos cum rege eorum Cnutone, hos Christi jugum portare docuit. Addit. *Sed quia ego de hostiis eorundem antiquis mira audivi, hæc indiscussa præterire nolo. Est unus in his partibus locus, caput istius regni, Lederum nomine, in pago qui Selon dicitur, ubi post novem annos mense Januario, post hoc tempus quo nos Theophaniam Domini celebramus, omnes conveniunt, & ibi diis suismet XC & novem homines, & totidem equos cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis immolant, pro certo, ut prædixi, putantes eosdem placaturos. Quàm bene Rex noster fecit, qui eos à tam execrando ritu prohibuit! Acceptabilem enim Domino patri hostiam fert, qui humano sanguini parcit. Præcipit enim Dominus, innocentem & pium ne interficias.*

Pag. 200 l. 22. *Ottoniana victoria.*) Lanceam ab Ottone Magno in fretum Limicum esse missam, cum eò usq; exercitum duxisset, & nomen *Ottensund* ab Ottonis illo ductu esse natum, usq; est adeo certum, ut non tantùm Saxoni sed etiam aliis Danicis scriptoribus expresserit veritas illius facti commemorationem. Etiam verò Ericus Pomeranus Daniæ rex, deceptus à suis, Ottonem ab Haraldo fugatum prodit in Chronico, cum

aliis ſeptentrionalium rerum ſcriptoribus à Lindenbrogio edito. *Dumq;*, ait, *Haraldus rex in extremis finibus regni ſui erat, ſcilicet in Hollandia, Imperator totam Jutiam vaſtavit usq; mare, quod ab eo Odeſunt dicitur. Ibi enim lanceam ſuam in mare miſit, ad perpetuam rei memoriam. Quo audito Haraldus vehementer commotus, verſus Jutiam feſtinavit cum furore magno. Quod intelligens Imperator fugit, & in Lohete ſuperveniens Haraldus occidit Vpponem ducem exercitus Imperatoris, reliqui verò Teutonici fugerunt.* Quantumvis verò fugam illam Ottonis jactitent Danici ſcriptores, non tamen auſus fuit ipſe Joannes Meurſius narrationem illam tanquam dubio carentem admittere. Etenim cum dixiſſet: *nullo reſiſtente Otho usq; Vendilam pervenit, ubi progredi prohibitus ſinu maris interjecto; jacta in eandem haſta, fecit, ut deinde Othonis, in memoriam expeditionis hujus diceretur: incolaq; etiamnum utrobiq; ubi caſtra habuere, citra fretum quidem Otho, ultra Haraldus, loca advenis oſtendunt.* Hiſce paulò poſt ſubjungit: *Exitum belli variè produnt. Et auctores ſunt Germani, Haraldum haud Sleſvico procul, qua peinſula coarctatur, regni viribus*

ribus collectis, caſtra ſua collocaſſe, ut Othonem aut interciperet, aut ad pugnam vel invitum loco oportuno traheret; verum prælio conſerto victum eſſe. Saxo autem Vendilam uſque proceſſiſſe; & Othoniano freto mox prohibitum, fugienti, quam vincenti, magis ſimilem receſſiſſe; caſo Epone, agminis extremi duce. Idem traditur ab Erico Pomerano: quin in fugam actum ab Haraldo Othonem, etiam Anonymus refert, in Compendioſâ Hiſtoriâ Regum Daniæ. Illud quidam certum putant, inſtituto cum Othone mox colloquio, ac compoſitis regni rebus, pietatem Chriſtianam amplexum Haraldum, operam navante Vnno magnæ tunc exiſtimationis viro, pacem regno, ſacram pariter ac profanam, comparaſſe.

Pag. 201 l. 13 *Tabulæ.*) Hæ ſunt illæ per Lindenbrogium editæ, quarum Adamus Bremenſis, quem conſtat vixiſſe Henrico IV Imperante, centum amplius annis ante Saxonem, hiſce verbis meminit. *Servantur in Bremenſi Eccleſia præcepta Regis: quæ ſignant, regem Othonem in ſua ditione regnum Danicum tenuiſſe, adeo ut etiam ille Epiſcopatus donaverit.* Danici tamen ſcriptores inſtitutionem illam trium Jutiæ Epiſcopatuum ſolent vulgò Daniæ regibus adſcribere. Ve-

riſi.

riſimilius eſt quod iidem narrant Suenonem II tres illos Epiſcopatus viris inſignibus contuliſſe.

Pag. 203 l. 11 *Othoneſvvigenſem.*) De quarto illo Epiſcopatu per Ottones conſtituto nullum alibi teſtimonium hactenus reperi.

Pag. 204 l. 24 *exuperat.*) Paulo pòſt idem Dithmarus ſcribit: *Vrbem unam in his finibus Cæſar ædificans præſidio firmat.* Hæc acta eſſe anno Chriſti 976 patet ex iis quæ mox ſubjungit. Haud dubie autem *Fovea* & *Porta* nomine intelligenda illa quæ in Danewerka etiamnum ſunt conſpicua. Cæterum urbem illam ab Ottone II exſtructam, anno ſtatim octogeſimo ſecundo à Danis iterum eſſe captam & deſtructam dum Imperator in Italia abeſt, idem Dithmarus teſtatur. Vindicatum id eſſe non proditur. Attamen ne ita quidem tunc periiſſe ibi potentiam omnem Imperii, docent nos Tabulæ illæ Othonis III jam tum in medium productæ.

Pag. 207 l. 23 *idem hoc opus.*) Quoniam Aimoinus & Regino procul abfuerunt, nec niſi fama aliquid de Gotfredi regis opere potuerunt accipere, nolim præfracte à vulgi ſententia amplius diſcedere. Sed & nihil facit ad noſtrum argumentum quicquid credideris.

Pag. 209 l. 17 *lædere.*) Quin imo videtur tunc contigiſſe, quod hiſce verbis refert Otto Friſingenſis *l. 7 cap. 19.* In Saxoniam divertens Regem Daniæ, *in ſignum ſubjectionis, ad decorem Imperialis reverentiæ, gladium ſibi ſub corona deferri fecit.*

Pag. 212 l. 20 *Ducatum.*) Fridericus itaq; Imperator etiam *Ducatum* illum Waldemaro contulit.

Pag. 215. l. 21 *ſuſcepit.*) Otto de S. Blaſio in Appendice Chronici Friſingenſis c. 28 de Friderico I Imperatore agens: *Præterea ante hæc omnia in curia Tholenſi juxta Biſuntium Regi Danorum Coronâ impoſita, REGNUM SUB HOMINIO CONCESSIT.* Omnem illum actum Gotfridus monachus S. Pantaleonis in Agrippinatibus, chronico quod Marquardus Freherus edidit Tomo I ſcriptorum Germanicorum, hiſce verbis deſcripſit. *Eodem tempore Ludovvicus Rex Franciæ legatos ad Imperatorem pro componenda pace & unitate Sanctæ Eccleſiæ miſit, quos ipſe gratanter ſuſcepit, igitur generali Synodo indicta in municipio quod Leona dicitur ſuper fluvium Pœnam in Epiſcopatu Biſontino, Imperator cum Papa Victore, multisque Archiepiſcopis, Epiſco-*

pis, Abbatibusque affuit, in die decollationis S. Johannis Baptiſtæ. Rex autem Franciæ ex altera parte fluminis pridie advenerat, ſed ex conſilio Papæ Alexandri & ſibi parentium in proximo caſtro reſedit, nec ad Imperatorem pervenit. Affuit huic Synodo Rex Danorum Waldemarus, qui ibidem coronam de manibus Imperatoris ſuscipiens, HOMO EJUS FACTUS EST.

AD CAPUT XV.

PAg. 225 l. 14. *adimat fidem.*) Veriſimile tamen eſt, jam tunc temporis vixiſſe Saxones extra cherſoneſum, & quidem inter Albim Eidoram & Travam fluvios. Et verò Saxonum nomina non comparent quidem hodie vel in Taciti de Germanorum moribus libello: verum illud videtur factum vitio ævi quo pars libelli periit. Apud Ptolomæum autem ſic ſatis clare ſedes Saxonibus aſſignatur extra Cimbricam peninſulam: quoniam illa verò incipit circa Eidorã, conſequens eſt, illuc tantùm uſq; Saxones tunc degiſſe. Jam tum illa de re à nobis dicta ſunt quæ huc pertineant libro quem *De Helmſtadio ejusq; viciniâ* edidimus, neq; ulla opus nunc eſt eorum repetitione. An Dani autem jam tum ibi degerint, merito dubites, ſi attendas Ptolomæi & Taciti dicta de cherſoneſi incolis.

Pag.

Pag. 232 l. 8 *Vicinam Slavoniam.*) Non Slavoniam duntaxat vicinam cis & trans Albim, uſq; in Bohemos & Polonos, ſed etiam Pruſſiam & Æſtiorum vaſtas Provincias Germanicis coloniis complurimis Germania in linguam & mores ſuos commutavit: ne quid nunc dicamus de vicinis circumquaq; regionibus aliis. Haud abs re fuerit hic expendere quæ princeps noſtri ævi hiſtoricorum Jacobus Auguſtus Thuanus *l. 2 Hiſtoriar.* de iſthac Germanorum ſolita migratione ſcripſit, etſi nonnihil laborent. Cum enim de finibus Germaniæ antiquis pauca attuliſſet in medium, in hæc verba progreſſus eſt. *Quos poſtremos limites populoſa aque ac bellicoſa gens transgredi non potuit, quippe inſuperabiles; flumina facile ſuperavit. Nam & inde trans Viſtulam in Boruſſiam & Daciam; inde ultra Rhenum, omnem trans & citra Juram Helvetiorum civitatem complexa, ad Vogeſum uſque montem & Belgici maximam partem fines protulit, & inſulam Batavorum ambigui antea juris ſuam effecit, omni ea portione Gallis ademta. Itaque & omnibus iis locis lingua ex Germanica detorta utuntur. Apud Helvetios, inquam, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Menapios, Treviros, Tungros, Sicambros*

bros, Vbios, Eburones, Atuaticos, & Pleumosios. Quin & Anglicam, quæ hodie est, & Scoticam, Teutonicæ esse dialectos quis neget? Uti à Saxonibus nomen, ita & linguam mutuatos esse, vero sit simile. Quin & iidem Saxones orientem versus veteres fines egressi, Borussos & Transilvanos, qui hodie appellantur, Germanice loqui docuerunt. Etiam Livonia, licet in Sarmatia Europæa sita sit, quia tamen versus occidentem sinuoso tractu reflectitur, & à Vandalis proximis insessa est, Germaniæ annumeratur; eamque ob causam Rigensis Archiepiscopus, qui in Livonia est, inter Germanicos antistites recensetur. At enim quod in Gallia Germanis, id in Germania Illyriis usu venit, ut suæ ibi dominationis vestigia relinquerent alte impressa. Nam & hodie Marcomani seu Moravi, Quadi sive Silesii, ac denique Boëmi, (qui omnes priscis Germaniæ finibus continentur) Illyrica seu Slavica lingua utuntur, atque eâdem adeo, quæ inter Istros, Dalmatas, Bosnenses, Bulgaros, ac denique per totam Sarmatiam Europæam Superiorem in usu est.

AD CAPVT XVI

PAg. 227 l. 9 *homagii.*) Auctor ille ut incertus ita etiam merito exiguæ in plurimis est fidei. Nec alius quisquam memorat *homagium* Canuto præstitum. Igitur hæc quidem narratio nullius est momenti.

Pag, 238 l. 23 *Rex Danorum.*) Operæ est hoc loco expendi, quæ Gotfridus S. Pantaleonis monachus notavit in Chronico ad annum 1224. *Per idem* (ait) *tempus, Henricus Rex* (Friderici II Imperatoris filius) *cum Engelberto Coloniensi Archiepiscopo, & Cunrado legato sedis Apostolicæ, & quibusdam Principibus, pro liberatione Regis Daciæ & restitutione terræ Imperii ab eodem injuste possessæ Saxoniam intravit. Vbi per biennium à Comite Heinrico de Sciurinh in firmissimo & inaccessibili castro nomine Dannenberch idem Rex cum filio suo captus tenebatur. Venientes itaque ad Alviam fluvium prædicti Principes; Herimannum magistrum Hospitalis Teutonicorum, qui ab Imperatore missus fuerat in Teutoniam causa reconciliationis & compositionis faciendæ, ad utrosque, scilicet Regem & Comitem, præmittunt. Quo mediante ad hoc inductus est idem*

Rex, ut totam terram quam Imperio abstulerat, reddere & coronam de manu Imperatoris suscipere, insuper centum millia marcarum pro absolutione sua dare promitteret. Quod cum acceptarent Principes qui cum Rege præsentes aderant, Albertus Comes de Vorlemunde filius sororis ipsius Regis & Barones Daciæ hanc compositionem reprobantes, & ea quæ promissa erant cassantes, ascensis navibus cum indignatione recesserunt, infinitam pecuniam quam ad remedimendum Regem attulerant, secum deferentes. Vnde prædicti Principes infecto negocio confusi discesserunt. Albertus ergo de Vorlemunde post natale Domini congregato exercitu Heinricum Comitem adgredi statuit. Quod ut cognovit Heinricus Comes in obsidione cujusdam castri positus relicta obsidione illi occurrit. Vbi pugna commissa cum magna animositate & multorum sanguinis effusione, ab hora diei prima usque ad vesperam dimicatum est. Multis ibi corruentibus, ipse etiam Albertus cum pluribus nobilibus captus & in castrum Dannenberch ad avunculum suum perductus ibidem custodiæ mancipatur. Idem Godefridus in historiâ anni *1227. Ipso anno in die Mariæ Magdalenæ Rex Danorum, prævarica-*

tor

tor fidei & juramenti pro abſolutione ſua præſtiti, vindicare ſe parat: & contracta infinita multitudine Comitem de Zuirin bello laceſſit. A quo adjutorio Archiepiſcopi Bremenſis & Ducis Alberti de Saxonia idem Rex ſuperatus per fugam vix evadit, ex parte ſua quatuor millibus virorum interemtis.

AD CAPUT XVII

PAg. 270 l. 11 *veriſimile.*) Procopius memorat *Hunnos Vtugaros*: Agathias *Vnnos Onogaros.* Videtur autem ſcribi debuiſſe *Hungaros*, non alios certe ſignificatos. In Eclogis Legationum Conſtantini Prophyrogeniti Imperatoris extat lectù digniſſima deſcriptio Legationis Theodoſii ſecundi Imperatoris ad Attilam inſtitutæ, à Priſco Rhetore uno legatorum exarata. Eo libello inter alia memoratur, *Hunugaros* fuiſſe ſuis ſedibus ejectos à Sabiris quos expulerunt Avares. Vnde ſimul confirmatur Hungaros ac Avaribus fuiſſe diverſos.

Pag. 274 l. 15 *Caroli Magni.*) Ex Annalium Francorum libello, ubi agitur de rebus anni 791 haud obſcurum eſt deprehenſu, Hunnos tunc

inco

incoluisse utramq; ripam Danubii, Carolum vero Magnum ipsum non esse progressum ultra confluentem Arrabonis & Danubii. Ex iisdem porro Annalibus liquet, Pipinum Magni filium anno *796* Hunnos victricibus armis fugasse ultra Teizam sive Tibiscum fluvium. Eginhartus in vita Caroli scribit de bello Hunnico. *Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo regia Cagani erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt.* Idem Eginhartus inter Caroli armis acquisita c. 15 numerat, *utramq; Pannoniam & oppositam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam quoq; & Liburniam atq; Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit.*

Pag. 272 l. 19 *ad Litham usq;.*) Otto Frisingensis l. 1. de gestis Friderici cap. 32 ita loquitur. *Dux etiam Austriæ non longe ex alterâ parte ejusdem fluvii,* (Lithæ) *qui Imperii Romani & Regni illi-*

ius

us ex uno Danubii latere, nam ex altero Marahe fluvius limes est.

Pag.282 l.7 *quod ante diximus.*) De hac re Glaber Rodulphus scriptor Gallicus σύγχρονος. Histor. cap. 1. agens de iis quæ contigerunt anno Christi quadragesimo quinto pòst millesimum. *Henricus filius Conradi rex Saxonum jam in re, Romanorum verò Imperator in spe, duxit uxorem filiam Wilhelmi Pictavorum Ducis, nomine Agnetem, quam etiam desponsavit in civitate Chrysopolitana, quæ vulgò Vesontio vocatur. Illuc deniq; ob amoris ac benevolentiæ gratiam utriusq; convenit maxima nobilium multitudo, Episcoporum verò viginti octo. Provenerat enim in ditionem prædicti regis regnum Austrasiorum, quod illi à progenitoribus competebat, simul etiam genti Ungarorum PROPRIO MODERAMINE regem Abbonem nomine instituerat.* Idem ibidem. *Ipso itidem anno prædicta gens Ungarorum, ejus imperio rebellis extitit: quam ille hostiliter aggressus, potenter devicit, sibiq; TRIBVTARIAM SVBJVGAVIT.* Capite IV narrat. *Postmodum gens Vngarorum jam secundò prædicto Regi rebellis existens adversus eundem præliari disposuit. Contra quem egressus, licet*

impar numero, confidens tamen in Dei auxilio, confligere cum ipsis non timuit: Non enim erat in exercitu ipsius plus quàm sex millia virorum cum in Vngarorum phalangibus æstimarentur ducenta millia armatorum. Erant enim cum Rege quamplures Episcopi cum clericis multis, qui pietatis gratià inermes cum eo in certamen introierunt. In eoq; certamine tamen *caligo ac tenebræ occupaverunt Vngarorum partem, ut vix virum juxta se positum quis illorum posset agnoscere. Exercitus quoq; Regis videbatur clarissimo sole circum & infra perlustratus: qui fortiter dimicans innumerabili cæde prostravit adversarios fugavitque, cum de eis perpauci corruissent. Capta vero præda hostium, ac regno ut primitus cœperat ordinato, triumphans Rex devenit ad propria.*

Pag. *296* l. *20 Hispania.*) Quod Gregorius VII Papa de Hispania inquit, illud à vero itidem esse alienum, patet ex hisce verbis ipsiusmet Joannis Marianæ hominis Romanæ sedi deditissimi, quæ habentur l.9. De rebus Hispaniæ cap. V. *Romani Pontifices Hispaniam sibi vectigalem reddere cogitarunt: uti argumento sunt literæ Gregorii septimi ad Reges Comites cæterosq; Principes Hispa-*

Hispaniæ, id confirmantis antiquis temporibus observatum, priusquam à Mauris Hispania esset eversa. Verùm iis conatibus nihil esse profectum, ac verò pari animorum constantia itum obviam, rerum eventus declarat, retenta semper à nostris immunitate. Hæc ipse Mariana. Qui & c. 8 narrat, eundem Gregorium Papam scripsisse de Ramiro rege, *quod regnùm seq; & liberos Romanis Pontificibus obnoxios vectigalesq; fore, lege in æternum lata voluerit & sanxerit.* Pari autem fide scripsit hoc Gregorius Papa atq; illud de Stephano Vngariæ rege quod modò audivimus. Qualia tamen mere commentitia in Epistolis Papæ illius de aliis quoq; tantum non omnibus mundi regnis regis legere est plurima.

Pag. 302 l. 2 *tentatum.*) Testatur tamen Arnoldus Lubecensis coævus scriptor l. 7 cap. 18, Ottonem quartum Imperatorem Hagenöcensi conventu soluto, dum *in Saxoniam* tenderet, Aldenburgum, Imperiale tunc temporis ad Pleissam Oppidum divertisse, *ubi,* ait, *convenere Misnenses & Cisnenses, Poloni quoq; Boëmi & VNGARI, ibiq; multis negotiis determinatis, & pace jurata, quæ in omnibus curiis præcedentibus firmata erat* Cæsarem in patriam rediisse. Verum illi con-

ventus Vngaros, ut Imperii ordines interfuisse, hinc non potest tutò colligi. Majoris momenti est quod de Friderico II Imperatore refert Matthæus Parisiensis scriptor Anglicanus celebris & σύγχρονος: nempe anno 1248 pulsis Tataris Vngariam ab Imperatore illo factam iterum feudi vinculo obnoxiam. Non possumus non ipsa hujus verba ex historia Henrici III Angliæ Regis repetita in medium heic adferre. *Per eosdem dies, Rex Hungariæ expulsus de Regno suo per Tartaros, ad alas protectionis Imperialis convolavit, ab eodem in tali articulo consilium efficax & auxilium contra communes hostes petiturus. Habito igitur diuturno & secretissimo consilio, procuratum est, quod Dominus Imperator ab irruptione hostili & barbarica potenter Regnum Hungariæ liberaret, ut scilicet, dictus Rex Regnum illud liberatum & pacificatum, ab ipso Imperatore, & deinceps ab Imperio teneret, quasi à Domino capitali. Misso igitur innumerabili exercitu, Imperator Regnum memoratum, non sine magnis sumptibus & periculis ab inhumanis Tartaris liberavit, & eosdem procul à finibus Regni potenter & prudenter eliminavit. Fuerunt qui dicerent, quod machinante Imperiali astutia illuc perve-*

ne-

nerunt ipſi deteſtandi Tatari, dominatui Imperatoris attendentes & obligati; hæc omnia facientes, ut Imperator Regem & Regnum taliter poteſtati ſuæ ſubjugaret. Sed hæc lividorum ſuſurra fuit, nec credi debet oblocutio hæc. Igitur liberato Regno Hungariæ & Regi pacifice reſtituto, ſubjecta facta eſt Hungaria Imperio, & obligata in trecentis militibus, & eorum ſequela, Imperatori in confiniis pugnaturo fideliter exhibendis. Hactenus Matthæus ille. Etſi vero hæc narratio non temere ſit rejicienda, quoniam auctor ille & tum temporis vixit, & valuit quoq; eximiâ cum induſtria tùm veri ſtudio, non tamen, fateor, auſim ſecure omnia credere, quoniam deſunt forte Germanicorum ſcriptorum idem narrantia teſtimonia (mihi ſane hactenus nulla ſunt viſa) imo quæ à noſtris de Friderici illius Imperatoris rebus referuntur multum ab his diſſentiunt. Merentur legi quæ in unum congeſta habentur pag. 153 Oratione de Friderico II Cæſare, in Nicolai Cisneri Orationum volumine.

Pag. 301 l. 14 *Velificabat.*) Willebrandus ab Oldenborch Canonicus Hildeshemenſis, qui anno Chriſti 1211 Imperatore Ottone IV Palæſtinam cœpit luſtrare, in Itinerario ſuo, quod reperitur

inter Leonis Allatii ΣΥΜΜΙΚΤΑ, pag. 144 agens de Rege Cypri, ita loquitur: *Et notate, quia* Imperator Henricus (VI) *dominum hujus terræ primum regem constituit, & per manus Conradi Cancellarii coronavit: hinc est quod rex hujus terræ Romano Imperatori, Domino suo, tenetur ex fidelitate.*

Pag. 307 l. 5 *fuerat.*) Willebrandus ab Oldenborch pag. 134 Itinerarii scribit; *Inde procedentes intravimus Hormeniam. Et sciendum, quod dominus terræ illius Leo de Montanis consueverat appellari: quem nostris diebus Henricus, gloriosus Romanorum Imperator, qui semper rempublicam & Romanum Imperium augere laboravit, Regem constituit & coronavit, unde postmodum Rex Hormeniæ est appellatus, & deinceps terram suam à Romano Imperio recipere consuevit. Cujus nepotem Otto* (IV) *Imperator, ad petitionem Leonis senioris regis, coronavit.* Vult vero ille scriptor *Hormenios* hosce diversos esse ab Armenis, ab illis tamen ortos sedes isthic posuisse Græcis pulsis.

AD

AD CAPUT XIIX.

PAG. 309 l. 15 *Selpadi.*) An hoc nomine Sileſii veniant aliis deſpiciendum committo. Cœterum Ottonis Magni auſpiciis ſaltim ex parte ita tunc fuiſſe domitam Poloniā, ut Poſnanienſis Epiſcopatꝰ fuerit conſtitutꝰ liquet ex iis, quæ idē Dithmarus narrat de Archiepiſcopatus Magdeburgenſis prima fundatione pag. *20*: nempe quod primo Archiepiſcopo Adelberto præter alios fecerit Otto Imperator ſubjici Jordanum Epiſcopum Poſnanienſem.

Pag. 310 l. 1 *collecto.*) Illud bellum propria auctoritate fuit geſtum ab Vdone contra Miſiconem tunc Imperio tributarium & ſatis fidelem. Manifeſtum hoc eſt ex iis quæ Dithmarus ſubjungit. *Ad cujus*, Vdonis ſcilicet, *auxilium pater meus Comes Sigefridus, tunc juvenis, venit ſolum cum ſuis, & in die S. Joannis Baptiſtæ adverſus eum pugnantes, primòq; vincentes, à fratre ejusdem Cidebuto, exceptis tantum Comitibus præfatis, omnes optimi milites, oppetierunt in loco qui vocatur Cidini. Hac de fama miſerabili Imperator turbatus, de Italia nuncios miſit, PRÆCIPIENTES Vdoni atq; MISECONI, ſi gratiam*

am suimet habere voluissent, usq; dum ipse veniens causam discuteret, in pace permanerent. Paulo post narrans, ab Imperatore Pascha celebratum esse Quedilingiburgi, addit: *Huc confluebant* IMPERATORIS EDICTO MISECO *atq; Boluslaus Duces, cum omnibus regni totius primariis.*

Pag. 310 l. 2 *tributariam.*) Poloni nonnulli fatentur ad DONA Polonos fuisse obstrictos non autem ad tributa. Eleganter vero jam tum de Romanis pacem annuis muneribus à gentibus Barbaris quasi mercantib9 Salvianus l. 6 de providentiâ divina: *Aurum quod pendimus MVNERA vocamus.* Ad quem locum quæ ex Casaubono addidit Rittershusius merentur legi & cum cura expendi.

Pag. 311 l. 20 *Vngero Posnaniense excepto.*) Scilicet Posnaniensis erat jam subjectus Archiepiscopatui Magdeburgensi. Quin imo ut diserte hic scribit Dithmarus: Archiepiscopatus illius *diœcesi omnis hæc regio* Polonica *subjecta est*: ideoque quod Archiepiscopatus Gnesnensis fuerit institutus sine consensu præsulis Magdeburgensis, dubitat Dithmarus an *legitimè* hoc fieri potuerit.

Pag. 316 l. 5 *Immunem.*) Imo vero æque hoc falsum esse, atq; *immunem* redditum *ab omni Jurisdictione Imperatorum*, docet sequentis tempo-

ris,

ris conſtans hiſtoria. Nec quod adduxi ex Dithmaro *tributarium Boliſlaum factum eſſe dominum*, aliter accipi debet quam majorem ſolito datam Boliſlao libertatem, qua effectum, ut oblita *ſui genitoris*, qui nempe humiliter ſeſe geſſerat erga Vdonem Marchionem *regula*, *ſemper ſibi præpoſitis, Marchionibus nempe, auderet in SVBJECTIONE paulatim detrahere*, & pecunia eos *capere in ſervitutis libertatisq; detrimentum.*

Pag. 318 l. 2 *In di.*) Attendendum eſt ad illa verba: *Miles officitur*, Item: *Regi ad Eccleſiam incedenti Armiger habetur.* Item: *Beneficium diu deſideratum ſuſcipit.* Alterum enim ſignificat, Boliſlaum gladium Imperatori incedenti prætuliſſe, quod ſignum jam olim fuit ſubjectionis. *Beneficii* item nomine feudum indigitari, in *militis* nexum militarem, eſt notiſſimum.

Pag. 321 l. 4 *Regem eorum.*) Patris exemplo igitur rebellem Miſiconem regio ſeſe titulo jactaſſe, hinc eſt manifeſtum. Sed & infra ex Ottone Friſingenſi notamus, facientem hunc Miſiconem *quædam regni inſignia fregiſſe.* Miſico igitur hic *Rex* audet, quomodo ejus pater Boliſlaus Helmoldo l. 2. Chron. Slavor. c. 15 dicitur *Rex Chriſtiani-*

stianissimus : quia scilicet uterq; Regium nomen assumpserat, quamvis contra jus & fas.

Pag. 323 l. 20 *sub tributo.*) Igitur Poloniam denuo tunc factam esse tributariam, hinc certum est. Videtur autem hoc quam maxime intelligendum de Polonia propriè sic dicta, prout distingui illa tunc cepit à Masovia & Silesia, quæ hactenus itidem Poloniæ nomine fuerant comprehensæ.

Pag. 324 l. 23 *quotannisq;.*) Tale fuit etiam tributum annuum Ducatus Bohemiæ. Quapropter fortassis memoria lapsus Bonfinius est, cum hanc tributi summam Polono Ducatui adscriberet. Quod si tamen boves excipias, certum est Poloniæ tributum fuisse tunc quingentas auri libras, diserte id ipsum testante Ottone Frisingensi, aut quingentas marcas, ut habet Guntherus l. 6 Ligurici.

Pag. 330 l. 23 *firmaret.*) Huc pertinet quod Autor Chronici Montis Sereni narrat ad annum 1135. *Imperator* Lotharius, Assumptionem S. Mariæ in Mersburg *celebrat. Ubi Bolislaus Dux Poloniæ & Othelmus Dux Bohemiæ cum cæteris Principibus adfuerunt; ubi etiam Bolislaus gladium Imperatori reportavit.*

Pag. 331 l. 15 *c. 36.*) Autor chronici Montis Sereni

ni ad annum 1106 scribit. *Fratres* Vladislai *ad resistendum parati, semitas observantes, Regem, seu*, Conradum Imperatorem *ingredi prohibebant. Tandem consilio Adolberti & Conradi Marchionis, obsidibus vicissim datis, Regem adeunt, & promissa pecunia PATRIAM AB IPSO SVSCIPIVNT, juniore fratre obside dato.*

Pag. 333 l. 6 *Crisgua.*) Videtur indicari Crosmera Satrapiæ Brestensis urbs, in Cupavia. Conferatur Storivolscius l. de rep. Pol. pag. 38 editionis meæ Brunsvicensis.

Pag. 338 l. 6 *vindicare.*) Hinc fortassis Matthæus Parisiensis scriptor Anglicanus, sive ejus continuator, Richardi Angli Cæsaream electionem narrans, in historia anni 1257, inter Germaniæ magnates recenset Ducem Poloniæ.

Annotationum ad Lib. I.

FINIS.

Ty-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Cum has ad librum priorem annotationes vir supra laudem positus perduxisset ad finem, & animus laboribus indefessus, nec tot annorum lucubratione remissior, in eo jam esset, ut librum secundum pari studio aggrederetur, fatali morbo implicitus, absistere scriptione, plenaque gloriæ vela contrahere fuit coactus. Cujus post mortem cum nihil ejus generis literis consignatum inveniretur amplius, (solebat enim fere, ut in præfatione hujus operis de se ipse fidem facit, quicquid excidebat calamo, in schedis exaratum sine mora typographo transcribendum dare) hæc vel invidere posteritati, imperfecta licet, vel impari infelicioris cujusdam genii conatui desarcinanda permittere religio fuit.

His igitur paucis sed genuinis, Lector benevole, *fruere, & ossibus viri de Patria tot meritis ingentibus clari, mollem ac placitam quietem comprecare ac vale!*

INDEX RERUM.

OPERIS DE FINIBUS IMPERII GERMANICI, CHARACTERE ROMANO CAPUT, ZIFRA, PAGINA INDICANTUR.

Alsati-

potius

biit

Alber-

cuna

Godfri-

Gundri-

mum

Princi-

& Epi-

Lothar-

Hollan-

Orien-

Parma

Sara-

FINIS.



